
UC-NRLF

QUAESTIONES SERVIANAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
ANTE DIEM XV KAL. MAI. ANNI MDCCCLXXXII
H. XII
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

RICHARDUS HALFPAP NOM. **KLOTZ**
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
P. VOIGT, DRD. PHIL.
M. SCHUSTER, CAND. PHIL.
I. SCHULZ, SEM. REG. PHIL. SOD.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXII.

ADOLFO KIESSLING

SACRUM.

Quaestiones Servianae.

Inquisituris in Servii grammatici, qui feruntur, commentarios, primo loco, uti per se patet, verba nobis facienda sunt de ea quaestione, quae inde ab anno 1600, quo Petrus Daniel Servium multis scholiis edidit auctum, viros doctos exercuit, utrum ipsius Servii sint ea additamenta necne. Atque post editam a Thilone in Servium praefationem iam breviter hanc rem licet absolvere, cum vir ille egregius copiosissime eam tractaverit. Ut vero demonstraret Danielis scholia aliena esse a Servio praecipue usus est his argumentis: primum aucti illi Danielis libri, quotquot habemus, Servii nomen prae se non ferunt; deinde cum Servius in commentario legentes ad superius exposita revocet ita, ut ante vel supra de aliqua re ‚se dixisse' moneat, in additiciis scholiis de aliqua re ‚dictum esse' commemoratur [1]). Denique rem conficit, quod, cum Servius in explicandis Vergilii carminibus primo loco posuerit Aeneidem, sequantur Bucolica et Georgica, scholia Danielina ostendunt commentarium antiquo illo ordine conscriptum, quo praecederent Bucolica et Georgica, finem faceret Aeneis [2]).

Accedit aliud, neque id levius argumentum; multum enim interest inter scriptores a Servio laudatos atque hos, qui in additamentis adferuntur testes. Quam rem etsi nolo hoc loco absolvere, probabo tamen exemplo luculentissimo. Monuit enim me Kiesslingius videri Lucanum et Iuvenalem a quarto demum saeculo haberi a grammaticis in numero ‚au-

1) Cf. Thilo praefat. in Serv. p. 14.

2) Thilo l. l. p. 17.

ctorum idoneorum'; quam observationem verissimam non possum quin paucis enarrem.

Primus, quantum equidem scio, Hieronymus [1]) tradit grammaticum aliquem interpretando Lucano operam dedisse; atque hoc firmatur eo, quod apud antiquiores vix exhibetur testis. Itaque frustra eum quaeris apud Gellium, Festum [2]), apud Nonium Marcellum, apud Charisium, quippe cuius auctores sunt antiquiores, apud scholiastam Vergilii Veronensem [3]). Semel denique in Porphyrionis commentario Horatiano ad Carm. IV, 14, 49 Lucanus testis adfertur, cum saepissime id fiat in Pseudo-Acronis scholiis [4]). Prorsus idem cadit in Iuvenalem. Contra alia est res apud scriptores Hieronymo aequales vel iuniores. Namque Servius, ut tandem ad nostrum redeamus, saepissime hos poetas profert (e. gr. Lucanum Aen. praef. p. 5. I, 1. 2. 8. 35. 58. 165. 203. 346. 394. 398. 417. 535. 601. Iuvenalem Aen. praef. p. 4. I, 1. 16. 164. 180. 215. 346. 637. 654. 726.); iam desiderantur in Danielis additamentis, quod aliter explicari nequit, quam ut statuamus ea derivata esse ex auctoribus quarto saeculo antiquioribus. Cassellanus enim quae ad Aen. II, 445 habet adnotata: „*ut ab hoc fructu fructuum, ita et domuum; nam et Juvenalis 'viscera magnarum domuum' ait*“, Thilo (praefat. p. 35) cum non solum Cledonii sed etiam ipsius Servii et Pompei verba simillima sint, Servii esse et libra-

1) Est notissimus ille locus Hieron. adv. Rufin. I, 16: „Puto quod puer legeris: Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios ... et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Vergilium, et aliorum in alios: Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.

2) Non igitur pro certo accipiemus, quod adnotat Müllerus ad Paul. Diac. p. 34: s. v. „Bardus: Gallice cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit a gente Bardorum, de quibus Lucanus: Plurima securi fudistis carmina Bardi“. Huius mentionem Festum addidisse — apertum est.'

3) Etiam in commentario, quem Probi esse libri testantur, hi poetae non nominantur.

4) Lucani versum Porphyrioni ad Carm. I, 12, 6 adscriptum ab interpolatore mihi persuasit Kiesslingius.

riorum incuria in huius libris omissa esse censet. Quae Thilonis coniectura optime congruit cum nostra ratiocinatione. Deinde vero duobus [1]) locis citatur Lucanus in scholiis additiciis: Aen. IV, 513 „*Falcibus et messae ad lunam quaeruntur aenis*] *herbae. (aut) pro lunae ratione tolluntur (aut in quas despumaverit luna, sicut Luc.: ‚donec subpositas propius despumet in herbas')*“. Quod scholion cum debeatur codici Turonensi, nullius est momenti [2]). Remanet igitur iam unus Aen. V, 2, ubi Lucani versus Servii adnotationi est additus, ut proclivis sit coniectura, hunc quoque Servio tribuere.

Sequitur igitur etiam hac ex observatione neque Servii esse additamenta et redire ad commentarios quarto saeculo antiquiores [3]).

Caput I.

Quantum pretii his Danielis additamentis sit tribuendum, maximam partem pendet ex ea quaestione, quam primus accurate tractavit Georgius Thilo in Quaestionibus Servianis (Hal. 1866), qui nexus intercedat inter additamenta et Macrobii Saturnaliorum libros. Atque vir ille doctus inde, quod Macrobius modo, modo scholiasta plura exhibeat, necessario communem fontem statuendum esse demonstravit [4]). Tamen extitit, qui aliter iudicaret, Linkius in dissertatione de Macrobii Saturn. fontibus (Vrat. 1881). Is enim quod compluribus locis Macrobius et scholiasta ad verbum inter se

---

1) De tertio sane, qui superest (ad Aen. X, 145) iudicium ferre non audeo antequam Thilonis editio certiores nos fecerit de hoc loco.

2) Cf. quae infra in fine prioris capitis de hoc codice monentur.

3) Quod vult Thilo (praef. p. 15) haud pauca scholia addit. referenda esse ad Donatum non mihi persuasit. Nam Lucanum non plane a Donato omissum fuisse docet eius schol. ad Ter. Eun. II, 3, 56 et Serv. ad Aen. XII, 365.

4) Etiam post hanc Thilonis dissertationem Ribbeckius in appendice Vergil. defendere conatus est, quae in prolegg. statuerat, Macrobium sua hausisse ex Servio ampliore.

consentiunt, hinc expediendum esse confirmare studuit, quod scholia illa e Macrobio ipso essent deprompta. Quod si recte se haberet, etiam multo plura quam quae adfert Linkius, ad hunc fontem essent revocanda, cum sat magna Macrobiani operis pars temporum iniuria interierit. Arctissime autem cohaeret haec quaestio cum altera de Macrobii exscribendi ratione. Si enim, quod innuere videtur[1]), Linkius nobis probasset Macrobium fontium, ex quibus sua hausit, verba mutasse, „*ut etiam si quid apparuerit, unde sumptum sit, aliud tamen esse, quam unde sumptum noscetur appareat*“, nemo certe Linkio adsentiri non poterat; nam si constaret Macrobium in Saturnaliorum libris uti suo ipsius sermone, tum certe verborum concentus in Macrobio et scholiis illis additiciis aliter explicari nequiret, quam ut haec ex illo descripta esse concederemus. Quam de Macrobii exscribendi more sententiam etsi Linkius argumentis non firmavit, tamen cum auctore Reifferscheidio etiam amplexus sit Wissowa, qui ‚miram animadverti per omnes Saturnaliorum libros sermonis aequabilitatem atque prorsus eundem latinitatis colorem' pronuntiavit[2]), iterum examinandam censui.

Atque in Gellio tenemus Macrobium fontem suum ad verbum plerumque exscribentem; nam étiamsi concedendum paucula quaedam ab ipso esse mutata[3]), tamen nihili haec sunt prae tot capitibus, quae ipsis Gelli verbis a Macrobio sunt repetita. Cur vero, quod in describendo Gellio fecit Macrobius, in aliis scriptoribus, veluti in Suetonio et commentariis Vergilianis, anxie vitaverit, equidem non video; praesertim cum dicat Macrobius ipse in praefat. § 4: „*nec mihi vitio vertas, si res quas ex lectione varia mutuabor, ipsis saepe verbis quibus ab ipsis auctoribus enarratae sunt, explicabo*“; neque Wissowa argumentis id quod posuit demonstravit. Ac ne ipsum quidem fugit occurrere quaedam quae, quod Macrobius ipse fatetur, verum esse suadeant, ut Saturn.

1) Cf. dissertat. p. 4.
2) De Macrobii Saturnal. fontibus. Dissertat. Vratisl. 1880. p. 14.
3) Cf. Linke l. c. p. 4 n. 1.

V, 4, 4 „versus quoniam utrobique multi sunt, non inserui" quae, ut Wissowa (p. 13) recte dicit, ex scripto aliquo commentario ad verbum expressa esse patet. Cuius observationis plura adferri possunt exempla [1]) veluti Sat. I, 12, 35 „*Augustus deinde est, qui Sextilis antea vocabatur donec honori Augusti daretur ex senatus consulto, cuius verba subieci*" ..; sed ut ad finem ducatur quaestio, inquirendum est in Macrobii sermonem, ut inde certum ferri iudicium possit, utrum mira illa sermonis aequabilitas animadvertatur per omnes Saturnaliorum libros necne?

Atque qui commentarium Macrobii in somnium Scipionis — nam ex hoc, non ex Saturnaliis proficiscendum esse in propatulo est — perlegerit, mihi concedet vix quicquam illius orationi magis esse proprium quam substantivorum usum; cuius diversa sunt genera. Saepe enim occurrit substantivum, ubi exspectares totum enuntiatum, ut in talibus: C. I, 3, 17 „falsitatis insomniorum Vergilium testem citantes". I, 6, 76 „aliorum munerum vacatione reverendus". I, 19, 14 „quae ratio persuasionem huius diversitatis induxerit". I, 22, 8 „Idem imbrium casus est". II, 12, 8 „ad fastidii necessitatem". vel participium, ut in hisce: C. I, 6, 49 „in tota zodiaci circumitione". I, 6, 57 „peragratione septimi signi". I, 7, 7 „unius verbi negligentia". I, 10, 8 „de rei absolutione". I, 10, 9 „circa naturae inquisitionem". I, 17, 11 „ad cuius appetentiam trahitur" I, 20, 16 „cum adiectione septimae partis suae" (cf. § 18; 20; II, 6, 4.) II, 2, 1 „ad intellectum verborum" (cf. § 23). II, 5, 30 „multa solitudinum interiectione" (cf. § 33). II, 11, 6 „ad discretionem lunaris anni". II, 12, 2 ab appetitu spontaneae mortis". II, 15, 2 „ad ostentationem suorum operum". II, 17, 16 „exhortatio ad contemptum gloriae" [2]). Haec Substantiva.

1) Illud ‚adnotabo' Sat. V, 19, 6, quod etsi cunctanter protulit Wissowa (p. 13) non aptum est ad hoc quod volumus demonstrandum, cum interlocutores ipsi dicant, se adnotare versus Vergili; cf. Sat. V, 3, 1; V, 4, 1; VI, 6, 1.

2) Conferas etiam talia: I, 19, 15 „sed non vacat adiectio, qua haec pronuntiatio temperatur".

dicendi formula causa quoque est, quod inveniuntur in hoc commentario innumera fere substantiva plerumque generis feminini, quae actionem significant; quorum tamen indicem hoc loco proferre parum mihi videtur e re esse.

Neque pauciores sunt loci, in quibus substantivum positum occurrit pro adiectivo, ut C. I, 2, 2 „levitatem censurae exercere“; I, 3, 20 „ad extremitatem tenuitatis erasum“ (cf. I, 6, 53). I, 4, 1 „beatitatis perpetuitate frui“ (cf. I, 20, 8 „frigoris perpetuitate“. II, 13, 7 pro adverbio: „animae beneficio in hac vitae perpetuitate retinetur“). I, 6, 9 „continuationem potestatis obtinere“. I, 6, 23 „vinculi firmitatem praestare“. I, 10, 8 „verborum paucitas“. I, 11, 2 „horrore vocabuli testamur“. I, 11, 10 „tres sententiarum diversitates“. II, 5, 10 „nimietate frigoris vel caloris“ (cf. etiam II, 7, 21; II, 10, 14 al.) Denique prorsus singulariter saepissime dicit: „post corpus“ vel „post animal“, ut idem valeat quod: „post mortem“ cf. C. I, 6; 1, 9; 3, 12; 4, 1; 9, 3; 10, 17; II, 3, 6; I, 1, 7. Haec quae exempli gratia protuli quivis facile augere poterit; nobis sufficiunt ad id quod diximus illustrandum.

Adjectiva. In adiectivis deinde a Macrobio usurpatis, praeter quod multa invenies, quae, ut dicit Janus praefat p. 43 „apud aureae vel argenteae aetatis scriptores frustra quaeras, ut in ‚alis' et in ‚bilis' desinentia“ deprehendes alteram Macrobiani sermonis proprietatem. Nam saepissime utitur adiectivo, ubi personae, cuius dictum narratur vel factum, ipsum nomen erat ponendum; ut C. I, 1, 19 „sed ille Platonicus secretorum relator“ (cf. I, 2, 5; II, 17, 13) et I, 13, 9 „Haec Platonicae sectae semina“ (cf. § 5 „haec secta et praeceptio Platonis est, qui in Phaedone“; II, 14, 6), ut I, 17, 7 „Platonica consentit auctoritas“ (cf. I, 21, 27). I, 1, 2 „Tullianus Scipio“; II, 5, 4 „Tullianus sermo“ (cf. II, 12, 2). I, 19, 25 „stella Veneria“; II, 14, 7 „Aristotelica argumentatio“ (cf. § 22); II, 15, 23 „Aristotelica de motibus divisio“.

Plane similis vel certe eiusdem naturae sunt haec: I, 12, 7 „materialis alluvio“ cf. § 10; I, 16, 4 „sphaeralis con-

vexitas"; I, 16, 7 „sine offensa terreni obicis". I, 20, 12 „terrena dimensio (cf. § 21 . . umbra; et I, 22, 9); I, 22, 9 „pluvialis liquor". I, 22, 6 „tumultus silvestris" (i. e. tumultus ὕλης; cf. I, 6, 9.) II, 2, 24 „motus mundanus" et similia cf. II, 5, 11; 14. II, 6, 7 et I, 6, 1 „vitale spatium viri fortis"; I, 9, 3 „natalis principii exordia". — Saepius deinde pendet ex neutro adiectivi genetivus substantivi, ut I, 1, 8 „arcana regionum"; I, 2, 9 „sacra caerimoniarum". I, 3, 13 „nova et incognita stellarum". I, 20, 5 „ad directi cursus consueta". I, 10, 17 „corporis inferna". cf. I, 12, 1; I, 15, 19; II, 9, 2; 5. Etiam numerus singularis adiectivi reperitur, ut I, 8, 4: „abruptum tam rigidae definitionis". I, 6, 22 „secundum ipsius veritatis arcanum". I, 12, 10 „minus oblivionis". Plura autem nunc de adiectivorum et adverbiorum usu proferre supersedeo, ne eadem, cum infra de Saturnaliorum libris erit agendum, bis enarrata fastidium faciant legentibus.

Pronomina. De pronominibus sufficiat adnotasse saepissime a Macrobio pro possessivo poni pronomen personale: I, 16, 10 „ob brevitatem sui" cf. § 11. I, 2, 12 „integra sui dignitate". I, 6, 62 „post iactum sui". I, 8, 11 „differentiam sui". I, 18, 9 „luna claritate sui notabilior". II, 1, 22 „per naturam sui" cf. I, 2, 17. I, 3, 5. I, 6, 76. I, 8, 8. I, 9, 3. I, 12, 7. I, 18, 4; 5. II, 4, 13. II, 14, 21; 28.

Verba. Neque de verbis, quibus usus est Macrobius, nunc latius dissero, nisi quod moneo, alia ei esse propria, ut I, 15, 12 luna . . . noctem ‚colorat'; ‚deviare' cf. I, 21, 9; I, 22, 7. II, 17, 13 al.; ‚obviare' I, 6, 47; I, 12, 1. II, 5, 23 cet.; alia ei esse usitatissima, ut prae ceteris ‚adserere' cf. in libro primo commentar.: I, 1, 6; 7. I, 3, 17; 19. I, 4, 1. I, 6, 4; 24; 64. I, 10, 10; 17. I, 11, 1. I, 13, 5. I, 14, 14. I, 16, 1. I, 17, 17. I, 19, 1. I, 20, 10; tum ‚ministro'. II, 3, 11. II, 5, 11. II, 8, 4. II, 15, 10; 30. II, 16, 9. et haec dicendi formula: „datur intellegi" cf. I, 6, 3. II, 5, 6; 12. II, 10, 11; atque „voluit intellegi" cf. I, 2, 1. I, 10, 12. I, 14, 25. I, 18, 15. II, 4, 15. II, 8, 6. II, 9, 6.

Quae ex verbis pendent liberius saepissime sunt adnexa; sicut haud raro ut apud alios Macrobiani saeculi scriptores [1]) ita apud nostrum ‚quia' ponitur pro ‚quod' (quae coniunctio ipsa persaepe accusativi c. infinit. locum obtinet); ut I, 6, 62 „hoc tamen praetereundum non est, quia semen ... haesisse pronuntiatur"; cf. praeter septem locos, quos Janus ad hanc paragraphum congessit, etiam II, 4, 5. II, 5, 19. II, 12, 16. II, 14, 25.

Denique non omittendum Macrobium sermoni suo inde maxime colorem quendam inducere, quod quae sententia cohaereant, tamen interpositis aliis enuntiati partibus seiungere studeat; velut I, 7, 7 „parem observantiae diligentiam Homericae"; I, 11, 11 „ab omni cuiuscunque contagione corporis". I, 13, 19 „nec contra ordinem cogenda (sc. mors) naturae". II, 14, 12 „sed et haec dicendum est ab alio moveri".

Iam cum haec quae protuli sufficere mihi videantur ad Macrobii sermonem adumbrandum, progredi nunc licet ad Saturnaliorum libros. Atque si recte sunt observata quae modo exposui, necessario eadem etiam debent inveniri in his Saturnaliorum partibus, quae fluxerunt ex ipsius Macrobii ingenio, scilicet in eis, quae pertinent ad dialogum disponendum. Ut vero eundem quem supra sequamur ordinem, conferas quaeso cum his, quae primo loco de substantivorum usu posui, talia: Sat. I, 2, 4 „in aliqua opportunitate docte ac liberaliter colloquendi interrogandique et respondendi comitate". I, 3, 1 „dignatione consultationis gravari" (cf. I, 5, 13. defensionum dignatione). I, 5, 13 „ne quid ad perfectionem coetus desideretur". I, 5, 3 „ni tempus ... necessariae discessionis nos admoneret". I, 7, 2 „sine delectu cari". I, 11, 1 „in ingenii sui pompam et ostentationem loquendi". I, 24, 21 „ut ... auditu vestro recreer et aliquanto silentio instaurem vires loquendi". III, 12, 9 „ut ipsa collatio nostrum non Maronis absolvat errorem". VI, 1,

---

1) cf. Servius ad Verg. Aen. I, 230. 232. II, 199. 604. III, 388. 718 saepius. Comment. in art. Donati. ed. Keil p. 417, 23. de final. p. 451, 16. Diomedes ed. Keil p. 328, 15. Pomp. Comm. (Gr. Lat. V) p. 115, 1; 10. K.

2 „quantum Vergilius ex antiquiorum lectione profecerit". VII, 11, 1 „Servius ad proditionem coloris erubuit". I, 16, 38 „Nec mirum si haec digeries morsum reprehensionis evasit, cui accersita est ad Aegypto postremae correctionis auctoritas". (cf. Comm. I, 2, 2 „quicquid . . . in Scipionis somnium iaculatus est . . morsus livoris").

Participium deinde exspectares in hisce: Saturn. praef. § 2: „ad cuius perfectionem". I, 5, 1 „ad quorum congeriem [1])". II, 1, 1 „sub paucorum verborum immutatione". II, 1, 6 „nullo admixtu voluptatis augemus". III, 14, 1 „cuius relatu". V, 3, 15 „sed iam si videtur a collatione versuum translatorum facesso.

Tum pro adiectivo invenitur substantivum his fere locis usurpatum: praef. § 13 „ego incautus sum, qui venustatem reprehensionis incurri (cf. Gell. XI, 8 . . . iuste venusteque admodum reprehendisse dicitur . .) I, 4, 2 „ista verborum novitas; § 4 unde sit sic eloquendi non novitas sed vetustas". II, 1, 16 „placuit omnibus laetitiae excogitata sobrietas". VII, 12, 2 „qua ratione carnem ad diuturnitatem usus admixtio salis servet".

Dein, quod attinet ad adiectiva, vide quam similiter supra adlatis haec sint pronuntiata: II, 1, 4 „circa reverentiam Socraticae maiestatis". VII, 15, 15 „accipe causas quas Platonica maiestas secuta est". I, 5, 4 „Praetextatus morali ut adsolet gravitate subiecit" (cf. C. I, 1, 6 morali gravitate . .). I, 1, 2 „ut habeat voluptatis amplius, severitatis minus". Sicut in commentario dicit Macrobius: C. I, 6, 25 „opifex deus". I, 6, 47 „artifex fabricatoris providentia. § 63 „artifex natura [2])"; ita in Saturn. I, 24, 18 „modo artifici dissimulatione modo professa [3]) imitatione . ." I, 2, 1 „bene opifici des . . poetam comparas". Porro, ut in com-

---

1) Macrobius inseruit sua capiti Gelliano (I, 10) a verbis „vis nobis verba" sq. usque ad: „incitasti".

2) cf. Ian ad Comm. II, 16, 4; et C. I, 6, 26 „conciliatione socii humoris"; II, 2, 1 „providentia dei fabricatoris". I, 6, 40 „Consensu ministri foederis".

3) cf. Comm. II, 15, 31 ‚confessae res'.

ment. I, 3, 9 „matutinus ei precator occurrit" legimus, ita in Saturn. I, 1, 4 „matutina vero erit robustior disputatio" et I, 6, 1 „matutini omnes adfuerunt".

Neque aliter res se habet in verbis ut Sat. I, 4, 17 „verba veterum nobis sunt testimoniis adserenda". I, 5, 13 „Flavianum qui adseruit". I, 24, 16 „ut Vergilius pontifex maximus adseratur". III, 13, 16 „respondi obiurganti Horo adserens . . ." cf. V, 1, 3. Aeque saepius occurrit alterum verbum: ‚insinuare' (cf. Comm. I, 7, 3; II, 10, 3 saepius). Sat. I, 2, 13 „Avieno mihi insinuante". I, 4, 4 „insinuato primum de Saturn.". I, 6, 12 „insinuatumque omnibus ut . . ." et ‚suggerere' (cf. Comm. I, 6, 10. I, 18, 4. II, 3, 9. II, 17, 10.) praef. § 4 prout . . se enarranda suggesserint. I, 3, 1 „tenuis memoria suggesserit, paucis revolvam" [1]). § 11 mox suggessit vates. II, 3, 1 „quae memoria suggesserit" (cf. § 14). III, 14, 3 „institueram, sed quia . . proferenda se suggerunt". VI, 6, 1 „cum repentina memoria suggesserit". Saepius etiam utitur Macrobius verbo ‚admoneor" ita ut valeat, ‚memini' vel ‚recordor' cf. Comm. I, 5, 9 „admonendi sumus" (cf. I, 10, 8.) itaque Saturn. I, 6, 3 „admoneor non ludricae . . quaestionis" VII, 8, 9 „admoneor rei quam semper quaesitu dignam putavi".

Deinde quod supra de coniunctione ‚quia' disputavimus, reperitur Sat. I, 24, 16 „hoc adsiduus lector admiror, quia . ." V, 1, 4 „hoc solum audebo dixisse quia facundia Mantuani multiplex . . est.

Eandem denique contortam vocabulorum collocationem, cuius supra enotavimus exempla, etiam in his libris licet invenire, ut Sat. I, 15, 3 „Haec nec mihi erubescendum est ignorare peregrino, a te vero . . ." I, 24, 2 „miror potuisse tantorum potestatem numinum comprehendi". I, 24, 25 „Ex placita iam vos lege convenio, ut . . ."

Quae omnia si contuleris cum supra enotatis, non dubi-

---

1) cf. de hoc verbo Comm. I, 6, 21. I, 17, 10. I, 18, 7; 9. II, 4, 1. II, 12, 2.

tabis opinor concedere, cum propria haec esse Macrobio, tum optime constare sibi hunc scriptorem in genere dicendi. Numquam enim id obliviscendum, haud ita multas esse paragraphos, quae in his Saturnaliorum libris ex ipsius Macrobii ingenio originem duxerunt. Postquam igitur probavimus prorsus eundem esse in his atque in commentariis latinitatis colorem, nunc progrediendum est ad alteram eamque summam quaestionis partem, et inquirendum, utrum is sermonis habitus, quem Macrobii esse intelleximus, inveniatur etiam in rebus a Macrobio narratis necne [1]). Atque ut hac in re aliquid proficiamus, non omittenda videntur, quae de Macrobii fontibus viri docti exploraverunt; quippe tanto maiorem esse orationis diversitatem consentaneum est, quanto longius quis scriptor, cuius scrinia compilat noster, abest ab ipsius saeculo. Iam cum Wissowa (p. 16—34) contra Gruppii [2]) et Kettneri [3]) disputationem evicerit, quae Macrobius in primo Saturn. libro de anno Romanorum disserit, hausta esse ex Suetonii pratorum libro „de anno Romanorum" sicut Reifferscheidius (cf. Sueton. reliq. p. 177; quaest. Sueton. p. 434) statuerat, aptissime ex his capitibus proficiscemur. Praeter Macrobium enim cum eodem Suetonio usi sint Censorinus et Solinus et Isidorus Hispalensis, videndum an forte ex illorum enarratione quid lucremur ad disceptandam nostram quaestionem. Neque fallit spes; nam etsi Solinus atque Isidorus summatim tantum haec excerpserunt, Censorinus autem minime is est, qui careat proprio iudicio et auctores suos plane describat [4]), tamen aliquot reperiuntur loci, in quibus eatenus concinant cum Macrobio, ut facere non possis quin haec qui-

1) Consulto omisi ea capita, quae Macrobius e Plutarchi quaestionibus convivalibus vertit, quia non eodem loco stant atque quae M. ipse confinxit. Ceterum si quis horum capp. orationem comparare voluerit cum Sat. V, 21, inveniet hoc caput ex Athenaeo versum non esse, sed redire ad fontem Macrobii latinum. Nam cum ignoremus, breviatusne sit ille Athenaei liber, inde quod plura habet quaedam Macrobius, nihil effici potest.

2) In commentat. in hon. Mommsen. p. 545.

3) „Beobachtungen über die Benutzung des Verrius Fl." Halle 1878.

4) cf. Wissowa l. c. p. 21.

dem verba ipsa ex fonte hausta esse concedas. Itaque conferendus est Macrob. Sat. I, 12, 3

... „ut sex quidem menses id est Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December tricenum essent dierum, quattuor vero, Martius, Maius, Quintilis, October tricenis et singulis expedirentur“.	Solin. ed. Momms. p. 13, 12: ... „ita ut sex menses tricenum dierum essent, quattuor reliqui tricenis et singulis expedirentur“.

Quae etsi poterant vix aliter enarrari, tamen propter ‚expedirentur' non omittenda censui.

In eodem Macrobiani capitis § 7 legimus haec:

„Hoc mense (sc. Marte) ... et servis cenas adponebant matronae, ut domini Saturnalibus: illae ut principio anni ad promptum obsequium honore servos invitarent, hi quia gratiam perfecti operis exsolverent“.	Solin. p. 13, 4: ... „adeo ut ... matronae servis suis cenas ponerent, sicuti Saturnalibus domini; illae ut honore promptius obsequium provocarent, hi quasi gratiam repensarent perfecti laboris“ [1]).
Macrob. Sat. I, 12, 14: „sed cum ... arbores quoque nec minus cetera quae continet terra aperire se in germen incipiant“.	Isidor. de nat. rer. III (Reiff. Suet. rel. frg. 118), Aprilem quasi Aperilem nominaverunt eo, quod tunc plurimum germinis aperiatur in florem“.
Macrob. Sat. I, 13, 19: „unde dies ille ... eorum est permissus arbitrio, qui fastis praeerant“, ...	Censorin. 20, 6 (p. 43, 6 ed. H. [2]) „pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa“.
Macrob. Sat. I, 14, 2. „Sed postea C. Caesar omnem hanc inconstantiam temporum“ e. q. s.	Solin. p. 15, 4: „Itaque Caesar universam hanc inconstantiam“ e. q. s.
Macrob. Sat. I, 14, 13: „Nam cum oporteret diem qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare, illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant“.	Solin. p. 15, 12: „nam cum ... et oporteret confecto quarto anno id observari antequam quintus auspicaretur, illi incipiente quarto intercalarunt, non desinente“.

1) Verbum ‚repensare', quo utitur Solinus, ipsius est; cf. p. 15, 22. Macrobius autem verbo exsolvere, quod etiam in initio § „mercedes exsolvebant“ exstat, alias non utitur.

2) cf. Wissowa p. 19 n. 2; p. 21.

Macrob. Sat. I, 14, 14:	Solin. p. 15, 16:
... „intercalati sunt dies duodecim cum debuerint intercalari novem. Sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit, ut“ ...	„Sic ... cum novem dies tantummodo sufficere debuissent, duodecim sunt intercalati. quod r e prehensum [1]) Augustus reformavit, iussitque annos duodecim sine intercalatione decurrere, ut“ ...

Hic verborum concentus aliter explicari nequit, nisi ita, ut statuamus Macrobium enuntiata ipsa e Suetonii libro transscripsisse. Contemplemur igitur nunc horum capitum sermonem, ut quid de ceteris paragraphis sit iudicandum cognoscamus. Atque in cap. 12, § 2 verba: „*ut contentus sim referendo paucarum morem regionum*“ a Macrobio esse inserta inde clarum fit, quod ex Solino (p. 12, 23) discimus Suetonium etiam Laviniorum morem enarrasse, quos Macrobius ut fortasse alios quoque [2]) omisit. Nam uti per se patet, Macrobius non integrum Suetoni librum transtulit, sed quae apta ei videbantur, selegit. §§ 3 autem et 4 ad verbum hausit e fonte; nam quod de fine paragraphi 3 iam supra demonstravimus, de initio firmatur eo quod ibi legimus: „non igitur mirum ... Romanos .. habuisse annum ordinatum“, cum apud Macrobium a ‚mirum est‘ semper pendeat ‚si‘, ut Comm. I, 21, 35. II, 3, 10. II, 4, 14. Sat. I, 16, 38. Deinde ‚hodieque‘ apud Macrobium frustra quaeras, quod iterum in § 8 hic legitur. In §§ 5—7 agit scriptor de Martio mense; nihil in his est, quod Macrobii sermonem, qualem supra depinximus, sapiat: imo quod de § 7 iam statuimus, etiam de § 5 et 6 est accipiendum; nam vocula ‚deinceps‘ (§ 5) noster nusquam utitur, neque quod in § 6 „est t a m in regia curiisque a t q u e flaminum domibus“. Deinde pro adverbio ‚commode‘ Macrobius usurpat ‚commodum‘ (cf. Sat. I, 7, 3 „quos Horus ingredientes commodum consecutus“). In §§ 8—15 exponitur, quibus de causis secundus mensis nominatus sit Aprilis; neque in his invenitur, quod ab ipso

---

1) Solini libri P. et A exhibent ‚d e prehensum‘!

2) cf. Censorin. 19, 7 (p. 41, 16 Hultsch) „Cares autem et Acarnanes semenstres habuerunt annos“. Macrobius de Caribus nihil, quos Solinus quoque non nominat.

Macrobio profectum esse debeat; nam quod § 8 legitur „et hanc Romuli asserunt fuisse rationem“, quamquam hoc verbo nullum magis placuisse Macrobio supra monuimus, nihil contra nos facit, cum unicus hic sit locus in his capp. cumque hoc verbum eodem sensu quo hic occurrat etiam ab scriptoribus antiquioribus adhibitum videatur [1]). Contra insunt, quae Macrobio sunt ignota, ut § 9 ‚lenire'; § 10 ‚domicilium'; § 12 ‚insignis'; denique in § 14, de cuius parte iam egimus, verbo ‚contegere' aeque ut aliis quae attulimus, non utitur Macrobius. Ante § 15 autem iterum quaedam a nostro esse omissa, inde concludendum, quod cum Verri Flacci de certo quodam die testimonium exhibeatur („non tamen negat Verrius Flaccus hoc die“ e. q. s.) antea de toto mense, non de eius die aliquo sermo fuerit [2]).

Itidem quae in §§ 16—19 de Maii nomine disputantur, Macrobianum colorem nullum ostendunt; potius absunt ab eius sermone quae legimus § 16 „lata dissensio“, § 17 „sunt qui . . commemorent“ (Macrob. semel in Comm. II, 13, 9 „sunt enim qui . . evadunt); neque sollemne nostro est in § 19 „Maiae pariter Mercurioque“ [3]). Quod autem Wissowa [4]) intellexit §§ 20—29 ex altero fonte esse insertas, id mirum quantum firmatur hac re, quod et in initio et in fine

1) Lexica mihi suppeditant huncce: Seneca exc. controv. IV, 2 (p. 263, 5 K.) „Hunc colorem Gallio non probavit summo cum honore Metelli adserens contra Metellum agendum ita, ut cogatur . . .“ Cum vero is excerptor quarto vel quinto saeculo vixerit, res mihi iam dubia est. Nam alias hanc structuram ante Macrobii tempus ostendere nequeo; etenim quos locos attulit Scioppius (quem debeo Antibarbaro Krebsii IV p. 217) ‚de stilo historico' Amstelod. 1663, p. 160. correcti sunt.

2) Valde dubito, num ultima huius § verba „cuius rei causam quia huic loco non convenit, praetereundum est“ a Macrobio cum fortasse aliqua abiceret sint addita. Talis structura enim alias apud eum non invenitur; nam quae Janus (praef. p. 40) comparat, Sat. III, 6, 1 „mirandum est . . poetae doctrinam“ a Macrobio ipso profectum esse nondum demonstratum est; Comm. II, 15, 1 autem „contra has . . argumentationes accingendum est“ cum illis comparari non potest. Alias quoque Macrobium non archaismorum adfectorem se gerere elucet ex his, quae supra de eius orationis conformatione exposuimus.

3) cf. Comm. I, 1, 1 „vitae mihi dulcedo pariter et gloria“.

4) l. c. p. 42.

huius particulae deprehendimus Macrobium ipsum haec coniungentem cum antecedentibus insequentibusque. Nam in § 20 dicit „adsertionemque aestimationis suae etiam hinc colligunt, quod . .“; quamquam enim verba et ‚adserere' et ‚aestimare' (ut sit idem atque ‚existimare') etiam apud scriptores Macrobio vetustiores occurrunt, tamen idem de substantivis hisce vix adfirmaverim, Macrobio autem ut ‚adsertio' (cf. Comm. I, 11, 7. I, 13, 2. I, 17, 16. I, 19, 15. II, 3, 16. II, 11, 4. II, 12, 13) et ‚adsertor'[1]) (cf. Comm. I, 9, 6. Sat. I, 6, 5 „peropportune adfuistis, inquit, adsertorem quaerenti“. Sat. VII, 4, 3 „nec longe petendus est adsertor, cum Disarius adsit“.) ita ‚aestimatio' (cf. Comm. II, 15, 19. Sat. VII, 6, 2 „ut vestrum sit de mea aestimatione iudicium“) valde sunt usitata[2]). Deinde in § 29 ita loquitur Macrobius „ecce occasio nominis . . . coegit nos protulisse“. Haec neque ex fonte, ex quo has paragraphos petivit, hausta esse possunt et ut alia praetermittam ‚ecce' illud saepissime ita posuit Macrobius, ut inopinati nihil sequatur (cf. Ian praef. p. 41; Comm. I, 7, 4. I, 18, 5. II, 7, 7. II, 10, 8 et Ian ad h. l. II, 11, 13. II, 15, 16. Sat. V, 1, 4 „ecce enim in Cicerone vestro unus eloquentiae tenor est“. VII, 9, 10 „ecce me, Euangele, sine nisu idem exemptum videbis“). His vero ut Wissowae ita nostram sententiam summopere comprobari nemo non videt. In sequentibus deinde Iunii atque Iulii nominibus iterum fontis sui vestigia premit Macrobius; nam verbum ‚deterere', quod in § 30, ‚reus' quod in § 31 occurrit, non invenies apud nostrum; item in § 32 ut omnino verbum ‚sacro', ita inusitatior illa structura „deam templo sacrare“ in commentariis desideras; neque neglegendum illud „idoneus emendationi publici status exstitit“, cum apud Macrobium ex ‚idoneus' pendere soleat ‚ad' (cf. Comm. I, 6, 3. I, 13, 13.

---

1) Ita ut idem sit atque „enarrator“, vel „demonstrator“; nam „adsertorem libertatis“ (cf. Mommsen in Hermae vol. XVI p. 147) huc non spectare apparet.

2) cf. etiam Saturn. VII, 6, 9 „Hoc vero vel manifestissimam aestimationis meae habet adsertionem, quod“ . . .

I, 21, 35)[1]), et verbum ‚roboro' § 33 in commentariis non recurrere. Similiter in § 34 verba „etiam post praepositos a Numa Ianuarium et Februarium retinuit nomen" quam non concinant cum Macrobii genere dicendi quivis concedet, qui ea quae supra de substantivis a nostro usurpatis protuli tenet memoria. Accedit, quod in eadem paragrapho legitur, quae Macrobius ipse nusquam habet ‚non-iam' et in § 35 ‚donec'. De ‚subieci' iam supra verba feci, ita ut nunc dubitatio nulla esse possit, quin hae paragraphi a Macrobio ad verbum sint transscriptae.

Omissis denique ultimis huius capitis paragraphis, quibus tantum moneo nihil inesse, quod Macrobii esse debeat, iam demonstrabo totum caput XIII integrum atque intactum a Macrobio esse translatum. Nam primum quidem nihil in hoc capite legitur, quod vel Macrobii vel omnino illius sit proprium saeculi; imo multa, quae satis recedant ab eius sermone; deinde vero licet animadvertere in his capitibus saepius proferri, quae Macrobio sunt incognita.

Itaque in § 12 exstat „sed nondum hoc errore comperto"; attamen Macrobius nusquam usurpat ‚nondum', sed constat sibi dicendo ‚necdum' cf. Comm. I, 3, 14; 16. I, 5, 5. I, 6, 50; 75. I, 9, 10. I, 12, 4. I, 13, 8. II, 11, 17.

Deinde in § 18 „cavisse, ut Nonae a nundinis segregarentur": Macrobius autem hoc verbo usus non est, sed aut ‚separo' (cf. Comm. I, 6, 36. I, 18, 6. I, 20, 8. I, 22, 2. II, 5, 33. II, 15, 25. II, 16, 12. II, 17, 14) dixit aut ‚sequestro' (cf. Comm. I, 5, 5; 12. I, 6, 8. I, 8, 8. I, 10, 4. I, 20, 11. II, 5, 33. II, 14, 10. Sat. VII, 11, 2 „age Servi .. commascula frontem et sequestrata verecundia"); optimeque nobis accidit, ut idem verbum ‚segrego' iterum reperiamus in cap. 16, § 15 „proeliares ab iustis non segregaverim", quod caput ex eodem fonte a Macrobio haustum esse Wissowa probavit[2]). Denique pro ‚non solum — verum etiam' (§ 19)

---

1) Noli contra me proferre Sat. I, 24, 5 „utrum poetae huius opera instituendis tantum pueris idonea iudices"; nam haec ipsius Macrobii esse, certo effici non poterit.

2) cf. dissert. p. 26 sqq.

noster semper dicit ‚non solum — sed' (cf. Comm. I, 1, 4. I, 6, 12; 33; 41; 69. II, 12, 5. II, 14, 2). In universum enim id animadvertendum Macrobium quater tantum particula ‚verum' in commentariis esse usum (cf. Comm. I, 6, 63. I, 16, 12. II, 1, 25. II, 8, 8), cum plus quam septuaginta locis occurrat ‚vero' (cf. e. gr. I, cap. 6, 12; 35; 39; 59; 74; 76. cap. 14, 6; 9; 15; 18; 21; 22; 24; 27. cap. 19, 2; 5; 9; 13; 19; 22; 23; 25). In his vero capitibus (sc. 12—14) praeter I, 13, 19 ‚verum' etiam legitur I, 12, 4. I, 13, 14. I, 14, 1.

Sed ut redeamus ad cap. XIII, in § 1 quod exstat ‚forsan' apud Macrobium frustra quaeras; itemque quod in § 5 occurrit ‚parturio' atque ‚puto' et ‚putatio' ut idem sit quod ‚computo' et ‚computatio'. Deinde summopere volgare horum capitum scriptori est participium ‚status' (cf. I, 13, 9 „intercalares stata ratione commenti sunt"; I, 14, 2 „in ordinem statae definitionis"; I, 14, 8 „quae stato erat die"; I, 15, 8 „stata sacra"; I, 16, 6 „statis observationibus adnotatae"), cum Macrobius hoc nusquam sit usus; quod idem cadit in verbum ‚comminiscor' § 9 et ‚expensare' § 12. Tum offendimus in § 15 in vocibus ‚credo', quod ita nude positum („reliquos dies . . . subiungebant, credo vetere religionis suae more") alias non invenitur apud Macrobium; idemque dicendum de ‚omni modo' § 15.

Sed ne longus sim in talibus enumerandis, breviter nunc percenseamus caput XIV, cuius quaedam enuntiata iam tetigimus; atque in hoc cap. iterum sententia nostra de Macrobii exscribendi ratione experimento, ut ita dicam, erit probanda, cum insint huic capiti, quae a Macrobio ipso inserta esse Wissowa perspexit [1]). Quae res optime nobis cedit; nam in § 4 (ea enim est) legimus: „luna paulo minus quam mensem in zodiaci circumitione consumit" quibuscum conferas C. II, 11, 6 „Saturni (sc. stella) triginta annos in eadem circumitione consumit"; Comm. I, 6, 49 „in tota zodiaci circumitione consumit" [2]). Reliquae autem huius capitis §§ non

1) cf. dissertat. p. 12.

2) Paragraphum 5 integram ex commentario aliquo Vergiliano esse

praebent, quae eodem modo Macrobio sint propria; nisi huc referre velis, quod in § 14 exstat „vitio sacerdotalis festinationis“ pro „vitio festinationis sacerdotum“; quod tamen quominus concedamus ab ipso Macrobio esse profectum, impedimur eo quod in hac paragrapho eodemque enuntiato occurrit verbum ‚transigere', quod non habet Macrobius; deinde „tres dies qui per annos triginta et sex vitio . . . excreverant“ aperte ab eodem duxit originem, qui in capite antecedente, quod ad verbum a Macrobio translatum esse demonstravimus, in § 13 dixit: „pro illis diebus, qui . . . supra Graecorum numerum creverant.“ Praeterea nihil in hoc cap. exstat, quod suspicionem movere possit; contra multa discrepant ab his, quae Macrobii sunt; velut in § 1 „modo auctio modo retractio dierum proveniebat“, sicut apud Macrobium non invenitur, ita aperte respicit ad I, 13, 2 „atque his . . diebus . . adiecit alios sex retractos illis sex mensibus“ [1]). Deinde semper utitur Macrobius verbo ‚muto', nunquam ‚immuto', quod hic in § 7 reperimus; tum in § quae sequitur legimus „novella comperendinatione“ quam utramque vocem noster ignorat; itemque pro ‚actio' vocabulo, quod in § 12 est, semper usurpat actus (cf. Comm. I, 1, 4. I, 2, 9. I, 3, 11. I, 7, 9. I, 8, 7); denique in § 13, de cuius parte extrema iam supra fecimus verba, vocula ‚hucusque', quippe quae apud Macrobium non invenitur, iterum firmat quod posuimus, totum hoc caput integrum a Macrobio esse transscriptum.

Iam possumus hic subsistere; nam satis habeo demonstrasse hoc de tribus capitibus, quod suffecisset de una saltem paragrapho; nemo enim opinor post haec quae disputavimus assentietur Reifferscheidio et Wissowae miram animadverti per omnes Saturnaliorum partes sermonis aequabilitatem.

---

haustam indicare videtur illud ‚complexus est'; cf. Schol. ad Aen. I, 378. III, 359 al.

1) Solinus p. 13, 18 M.: „de sex mensibus superioribus detraxerunt“: quod iterum demonstrat hunc scriptorem liberius egisse in exscribendis fontibus; nam quia insolentius ei videbatur dictum ‚retrahere', posuit ‚detrahere'.

Imo qui consideraverit, mirum verborum concentum intercedere inter nostrum atque eos scriptores, qui ex eodem ex quo ipse, fonte hauserunt, deinde multa, quae Macrobio sint volgarissima, et inveniri in eis Saturnaliorum partibus quae ab ipso profectae esse debeant et desiderari in hisce capitibus, permulta vero in his legi, quae ille rursus ignorasse videatur, is credo concedet Macrobium sicuti alias Gellium ita hic alterum scriptorem ad verbum exscripsisse. Ex his omnibus necessario concludendum Macrobium auctores suos ad verbum exscripsisse, ubi non contrarium potest demonstrari ex orationis habitu.

Nunc demum patefacta est via ad nostram quaestionem; neque enim opus est a nobis omnia capita Macrobiani operis, quae commune quid habent cum scholiis Vergilianis, percenseri; sufficit potius demonstrare duos vel tres locos eorum qui mirifice consentiunt a Macrobio ad verbum esse transscriptos. Atque in illo, quem Linkius primum attulit, Macr. Sat. III, 8, 5—8 „*Nec nomen apud se, quod fortuitum esse poterat, vacare permittit:*

matrisque vocavit
nomine Casmillae mutata parte Camillam.

Nam Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait dixisse Callimachum Tuscos Camillum appellare Mercurium. quo vocabulo significant praeministrum deorum. Unde Vergilius[1] *ait Metabum Camillam appellasse filiam, Dianae scilicet praeministram. nam et Pacuvius cum de Medea loqueretur*

caelitum camilla, exspectata advenis, salve hospita.

Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes camillos et camillas appellant flaminicarum et flaminum praeministros“, id statim licet animadvertere nihil inveniri, quod Macrobium prodat neque in usurpatis vocabulis neque in collocatis; contra ‚praeminister' et ‚praeministra' uti omnino non

1) Linkius (p. 18) sequitur editores Macrobii scribens „Unde Vergilium ait Metabum Camillam appellasse filiam“; sed praeferendum quod praebet cod. Par. „Vergilius“, ut commentatoris haec sint verba, non Statii Tulliani. Accedit quod etiam scholiast. Vergil. ad Aen. XI, 543 ‚Vergilius' exhibet.

saepe leguntur, ita prorsus desiderantur in Macrobio; et adiectivum ‚investis' et nostro incognitum est alias, et certe redolere videtur doctum aliquem grammaticum, minime hominem quinti p. Chr. n. saeculi [1]). Similiter res se habet in altero loco, quem exscripsit Linkius, Saturn. III, 5, 159. . . „*Cum enim Trebatius libro primo de Religionibus doceat hostiarum genera esse duo, unum in quo voluntas dei per exta disquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices animales has hostias vocant, utrumque hostiarum genus in carmine suo Vergilius ostendit. Et primo quidem illud quod voluntas numinum per exta monstratur*

mactat lectas de more bidentes

et mox

pecudumque reclusis
pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Alterum illud in quo hostia animalis dicitur, quod eius tantum anima sacratur, ostendit, cum facit Entellum victorem Eryci mactare taurum." Neque in his ullum Macrobiani sermonis vestigium; et verbo ‚disquirere' Macrobius nusquam utitur, quod de ‚sacrare' iam supra monuimus [2]).

His omnibus expositis iam id sumus consecuti, ex verborum in rebus enarratis consensu prorsus nihil concludi debere de ratione, quae intercedat inter Macrobium atque scholia nostra; veluti Linkius dixit (dissert. p. 22). „Interpolatorem ad Aen. III, 85 expilasse Macrob. III, 6, 1—5 similitudo verborum docet"! Consideremus igitur nunc num concedendum sit omnes locos quos attulit Linkius ex Macrobio haustos esse posse. Atque omissis duobus, de quibus ipse videtur dubitare (Aen. IX, 584 cf. dissert. p. 24 „fortasse"; Aen. I, 373 cf. p. 20 „adiecta esse . . videntur") quid iudicabis de scholio Danielino ad Aen. I, 378, quod incipit ita „*Sane de diis penatibus licet varias opiniones secutus sit Ver-*

1) cf. Paul. v. vesticeps p. 368 M.; Non s. v. vesticeps p. 45 M.

2) Qui plura desiderat exempla, adeat Sat. III, 6; de cuius initio quidem adhuc dubito; sed in sequentibus in § 2 ‚sollemnis' et ‚adorare'; in § 3 ‚inchoare' in § 6 ‚frigidum est' in § 7 ‚intactum' frustra quaeras apud Macrobium.

gilius, omnes tamen diversis locis complexus est; nam alii" .. sequuntur deinde eodem ordine quo Macrobius eos exhibet: Nigidius, Labeo, Varro (bis), Cassius Hemina; denique in fine „*ecce ergo* (sc. postquam complures Vergili versus sunt prolati) *diversis locis omnia tria complexus.*" Habemus igitur scholion integerrimum, quod ex Macrob. Sat. III, 4, 6 sq. haustum esse nequit, quia in ipso bis citatur Varro, quorum locorum prior abest a Macrobio, neque id Varronis testimonium (*„Varro deos penates quaedam sigilla lignea vel marmorea ab Aenea in Italiam dicit advecta"*) alibi servatum esse potest quam in hac de diis penatibus disputatione [1]). Iam vero quod de hoc scholio statuitur, idem cadit in schol. additicium ad Aen. II, 296. Ibi enim legimus: „*Sed in primo libro dictum, quos deos penates ab Aenea advectos diversorum opinio prodiderit"* et post aliquot versus: „*sed potentem potest ad illud accipi* θεοὺς δυνατούς, *sicut vocari penates dictum est*", quibus tam aperte delegamur ad scholion, quode modo egimus, ut necessario hoc ex eodem fonte manasse profiteamur; sicut igitur neque illud, ita neque hoc e Macrobio est petitum.

Deinde ad Aen. III, 85 additum est hoc scholion: „*Quaeritur etiam cur Aeneas, cum Delum venisset, nullis prius hostiis caesis statim a precibus coeperit: quia tradunt multi, inter quos et Varro, esse aras tam Apollinis quam filii eius non tantum Deli sed in plurimis locis, apud quas hostiae non caedantur, sed consuetudo sit deum solemni tantum prece venerari. quod autem ait Neptuno et Apollini tauris postea sacificatum, apud alias aras hoc factum accipi oportet.*" Hoc scholion ex Macrob. Sat. III, 6, 1—5 haustum esse contendit Linkius; ille enim haec narrat: „*Mirandum est huius poetae et circa nostra et circa externa sacra doctrinam. neque enim de nihilo est quod cum Delon venit Aeneas, nulla ab eo caesa est hostia nisi, cum proficisceretur, Apollini et Neptuno res facta divina est. constat enim, sicut Cloatius Verus Ordinatorum libro II docet esse Deli aram apud quam hostia non cae-*

1) cf. Thilo Quaest. Serv. p. 28.

ditur sed tantum sollemni deum prece venerantur. verba Cloatii haec sunt: Deli ara est Apollinis Γενέτορος in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram velut inviolatam adoravisse produnt. hanc ergo esse, quae adoratur ab Aenea. . . At vero cum taurum mox immolat Apollini et Neptuno, apud aliam utique aram factum intellegimus . . . meminit huius arae et (Varro) Cato de liberis educandis in haec verba: nutrix haec omnia faciebat . . . sine hostia ut Deli ad Apollinis Genetivi aram." Vides simillima haec esse; tamen Macrobium scholiasta nullo modo potest compilasse, primum cum dicat „esse aras tam Apollinis quam filii eius" et „non tantum Deli sed in plurimis locis", quae desunt in Macrobio [1]); deinde quod schol. incipit a voce ‚quaeritur'. Quae etsi recte iam monuit Thilo [2]), tamen non persuasit Linkio; dicit enim is (cf. ej. diss. p. 22 n. 6): „Quod scholion incipit a voce ‚quaeritur', quae est usitata incipiendi ratio, cur hac de causa interpolatori ipsi tribui non possit, equidem non video, nam interpolatores incipiunt persaepe ab hac voce." Sane incipiunt saepe ita — non interpolatores sed scholia additicia, scilicet quae pertinent ad locos Vergilianos, de quibus quaeri solebat; nam consentaneum est de versibus tantum in quibus poeta grammaticis crucem fixisse videretur ζητήματα proposita et λύσεις esse investigatas; qui grammaticorum antiquorum mos est notissimus [3]). Unde vero is qui nostrum scholion Servio adiecit, compertum habuit, de hoc Vergilii versu quaestionem esse institutam? E Macrobio certe non; nam is nihil de hac re.

Haec quae modo de ‚quaeritur' disputavimus, statim ad-

---

1) Linkius quidem censet scholiastam haec sibi confinxisse; nescio quo iure id statuerit; nam non demonstravit nullam praeter hanc Deliacam aram fuisse Apollinis vel Aesculapii, in qua ἁγνὰ tantum θύματα licebat his offerre.

2) Quaestion. Serv. p. 31.

3) cf. Asper ad Aen. 9, 360 (schol. Veron. p. 100, 15 K.) „de quaestionibus vel maxima." Serv. Aen. V, 626 „ergo constat quaestionem hanc unam esse de insolubilibus, quas non dubium est emendaturum fuisse Vergilium." Aen. 9, 363 duodecim tales esse insolubiles adfirmat.

miniculo nobis sunt in iudicio de altero schol. ad Aen. III, 85 ferendo, quod tale est: *„Sane quaeritur, cur saxum vetustum dixerit“* (sc. Deli); sequitur deinde testimonium Epaphi, quod ad verbum fere occurrit apud Macr. III, 6, 7 sq. ‚quaeri' autem de hoc Vergilii versu Macrobius minime dicit. Praeterea a scholiasta adfertur locus Ciceronis, qui quanto praesidio religio Delo insulae semper fuerit, narrat et probat; abest autem hic a Macrobio. Fortasse etiam tertium aliquid potest addi; videor enim mihi audire Macrobium ipsum loquentem in § 8 *„Non mirum ergo, si praesidio religionis tutum insulam semper ostendens ad reverentiam sibi locorum accessisse* d i c i t *continuam saxi eiusdem id est insulae firmitatem.“* Non dico Macrobium haec omnia sibi ex Epaphi verbis quae antecedunt finxisse, sed mutasse vel enarrasse (cf. Saturn. praef. § 4 „prout quaeque se vel enarranda vel transferenda suggesserint"). Nam ad quem referendum est Macrobii illud „dicit"? Ianus quidem in nota ad. h. l. intellegere videtur de Aenea apud Vergilium dicente [1]); contra ad poetam ipsum pertinere et Macrobii § 6 („eodem versu non omittendum puto, cur ‚saxo vetusto' dixerit") et scholiastae verba *„non mirum ergo si* [2]) *aut ad sua tempora poeta respondit aut ad pristina“*, luculenter ostendunt. Si igitur hoc accipiendum pro Macrobiano illo „ad reverentiam s i b i locorum accessisse dicit" exspectas ‚ei'; quod Macrobio non inusitatum ostendit C. I, 10, 4 „ut iam tum liqueret Africanum per quietem ad ea loca quae s i b i deberentur abductum" [3]). Haec iam mirum quantum comprobant nostram argumentationem; nam cum plane conspiret scholiasta cum Macrobii § 7, praeter

1) adnotat enim haec: „ad reverentiam . . accessisse] i. e. ei visum esse locum reverentia dignum."

2) Nolim quod supra de Macrobiano ‚mirum si' exposui, nunc contra me vertatur, ut inde demonstretur scholiastam Macrobium ante oculos habuisse. Nam etiam tertio p. Chr. n. saeculo illud ‚mirum si' inveni, ut apud Censorin. 19, 4 (p. 40, 26 H.).

3) Sin autem ‚dicit' ad Aeneam vis referre, tum in verbis „ad reverentiam locorum" agnoscis eum Macrobii usum substantivi, de quo primo loco egimus.

quod ipse etiam Ciceronis locum adfert, dissentit ab Macrobio ipso disserente, atque praebet ea, ex quibus Macrobius sua congessit.

Ex eiusdem Macrobii capitis § 17 ea desumpta esse contendit Linkius, quae scholio Serviano ad Aen. III, 407 addita sunt; postquam enim Servius dixit ,,*Sane sciendum sacrificantes diis omnibus caput velare consuetos ob hoc . . excepto Saturno, ne numinis imitatio esse videretur*" pergunt codices ,,*et Herculi in templo suo, quia et ipse capite operto est, vel quia hae arae ante adventum Aeneae a Iano vel Euandro consecratae sint.*" Macrobius autem l. c. non de ‚aris' sed tantum de ara Maxima loquitur et adfert testem Varronem ,,*Graecum hunc esse morem quia sive ipse* (sc. Hercules) *sive qui ab eo relicti aram M. statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt*", denique Gavium Bassum ,,*hoc fieri, quia ara M. ante adventum Aeneae in Italia constituta est.*" Desunt igitur in Macrobio, quae scholiasta exhibet: „a Iano vel Euandro". Atque optime cum his convenit, quod neque alter locus ad Aen. 8, 288, ubi de eadem re agitur, ex Macrobio repetitus esse potest; ibi enim additum est: ,,*Sane quaeritur, cur huic deo aperto capite sacrum fiat; legitur enim in libris antiquioribus ipsius admonitio his verbis ,,mihi detecto vertice cuncti Sacrificant*" e. q. sq.", quae a Macrobio prorsus sunt aliena.

Iam ut finem faciamus tractandi hoc Macrobii caput, restat ut de §§ 9—11 disseramus. Atque quivis Linkio concedet, scholion ad Aen. 8, 363 quod continet Octavi Hersenni historiam usque ad verba „Victoremque (sc. Herculem) incisis litteris appellavit" plane consentire cum Macrobio; deinde pergit schol. ,,*Ergo Vergilium non tantum ad victoriam praesentem ‚victorem' dixisse, sed occulte perpetuo eius epitheto usum debemus accipere, quippe quem Romae sub hoc nomine sacratum coli videbat, nam supra ait ‚Taurosque hac victor agebat' (v. 203) cum de pugna eius alia loqueretur*". Macrobius autem haec habet: ,,*dedit ergo epitheton deo quo et argumentum veterum victoriarum Herculis et commemoratio novae historiae quae recenti Romano sacro causam dedit contineretur*". Mirus igitur ille interpolator, cum totam narrationem

ad verbum e Macrobio descripsisset, subito hunc abiecit; sed cur? scilicet, ait Linkius, ut adaptaret sua ad id quod dixerat ad Aen. 8, 203 „*Victor*] *perpetuo epitheto Herculis usus est, quia omnia animalia vicit*". Sed unde haec sibi sumpsit? nam hoc scholion ab eodem esse scriptum neque Linkius negavit; in Macrobio autem de ‚perpetuo epitheto' nihil; dicit enim is in § 9: „*ut servavit Apollinis Genitoris proprietatem patrem vocando, idem curavit ‚Herculem' vocando ‚victorem'*". Si igitur ex Macrobio sua petivisset, certe adnotasset Vergilium servasse proprietatem. Concludendum igitur ne haec quidem scholia e Macrobio posse originem duxisse.

In libr. III cap. 9 agit Macrobius doctissime de more illo, quo Romani neque urbis Romae aut tutelaris eius dei nomen publicari volebant, et ipsi carmine ex hostium urbe deos evocarent ipsamque urbem devoverent; ad hoc caput redire schol. ad Aen. II, 244 Linkius sibi persuasit. Sed vide: a Macrobio illa prolata sunt ad interpretandum versum Vergil. Aen. II, 351,

„Excessere omnes adytis arisque relictis
Di quibus imperium hoc steterat".

Scholion vero, quod huic versui (II, 351) est adnotatum etsi magna ex parte consentit cum Macrobianis, tamen inde non repetitum esse Linkius ipse profitetur [1]). Iam vero ad versum II, 244: „Instamus tamen immemores caecique furore", cum Servius adnotasset: „*Immemores*] *improvidi aut non memores oraculorum*" scientissime haec addita sunt: „*Sane si peritiam diligenter intendas, secundum disciplinam carminis Romani, quo ex urbibus hostium deos ante evocare solebant, hoc dixit; erant enim inter cetera carminis verba haec: eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem iniciatis; unde bene intulit ‚immemores caecique furore', tamquam quos dei perdiderint*", ut ‚immemor' summa cum peritia a poeta dictum esse probaretur. Sed neque de hoc adiectivo neque omnino de hoc versu Macrobius quicquam exposuit; ut nullo modo possit perspici, quanam re interpolator ille sit permotus,

1) cf. dissert. p. 21 n. 3.

ut ea carminis verba referret ad hunc Vergilii versum. Quo sane interpolatore melius ne doctissimus quidem commentator munere fungi potuisset.

Plane similis est res Aen. II, 202, ubi legitur in scholiis: „*sane sciendum rite Neptuno et Apollini tauros immolandos, nam Iovi non licere; ideo et in tertio libro* (*v.* 26) *prodigium dicit secutum*“; is enim versus (II, 202) in Macrob. Sat. III, 10, in quo agitur de hac quaestione, omnino non tangitur, sed movetur illa quaestio de versu Aen. III, 21; ut iterum intellegi nequeat, cur interpolator quidam, qui uteretur Macrobio, non ad hunc versum Macrobiana addere voluerit. Accedit, quod in hoc scholio additicio et ad Aen. III., 118, ubi eadem repetuntur, desideratur Mars, cui Labeo apud Macrobium (§ 4) praeter Neptunum et Apollinem taurum immolari dicit. Quod certe auget suspicionem, haec e Macrobio non transscripta esse.

Tum secundum ea, quae supra de ‚quaeritur' exposuimus, non credemus Linkio schol. ad Aen. VIII, 279 *Quaeritur sane cur in mensam et non in aram libaverint? Sed apud antiquos inter vasorum supellectilem etiam mensam cum aris mos erat consecrari quo die templum consecrabatur*“ e. q. sq. ad Macrob. Sat. III, 11, 6 referenti, praesertim cum insuper in scholio, quod iam monuit Thilo [1]), citetur vs. Aen. II, 764, qui non est in Macrobio.

Eodem modo schol. ad Aen. 8, 276 „*Atqui lauro coronari solebant, qui apud aram maximam sacra faciebant; sed hoc post urbem conditam coepit fieri; neque alia fronde circumdat caput praetor urbanus, qui graeco ritu sacrificat*“, e. q. sq. e Macrob. Sat. III, 12, 1—4 exscriptum esse nequit propter scholiastae verba „*qui graeco ritu sacrificat*“, quae non inveniuntur in Macrobio [2]).

1) cf. Quaest. Serv. p. 41.

2) cf. Thilo, Quaest. Serv. p. 42. Quod Linkius (p. 23 n. 3) haec ex Macrob. S. III, 6, 17: „Varro ait Graecum hunc esse morem (sc. capitis velandi), quia sive ipse, sive qui ab eo relicti aram M. statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt“ fluxisse coniecit, tantum factum est, quia aliter eius de hoc loco iudicium non staret. De ‚praetore urbano' enim ibi in Macrobio nihil.

Partem deinde scholii ad Aen. 8, 285 redire ad Macrob. Sat. IV, 11, 5—7 censuit Linkius; sed cur dissecuerit hanc adnotationem, quae tota est de Saliis, non intellegitur, cum verba scholiastae „*et Tiburtes Salios etiam dicaverant*", quae Macrobii esse pronuntiavit, ab eodem esse scripta appareat atque quae in fine scholii exstant „*Habuerunt sane et Tusculani Salios ante Romanos*". Itidem non dubitavit Linkius scholion ad XI, 532 in partes nescio quot dividere, cum prima tantum ex iis sententiis, quae de nomine ‚Opis' feruntur, apud Macrobium Sat. V, 22, 3 legatur; ne id quidem curans, quod scholiasta, cum dicat „*Alii putant Opim et Hecaergon nutritores Apollinis et Dianae fuisse; hinc itaque Opim ipsam Dianam cognominatam, quod supra dictum est*", aperte respicit ad initium scholii: „*Sane hoc nomen ipsius Dianae fuisse*" e. q. sq. [1]).

Postquam igitur demonstravimus sat magnum scholiorum Danielinorum, quae e Macrobio translata Linkius asseverat, numerum ne per se quidem posse ex hoc repetitum esse, iam restant aliquot, de quibus sane id concedendum. Sed etiamsi damus haec potuisse exscribi, quonam argumento firmatur, ea ex Macrobio exscripta esse debere? Similitudine verborum enim prorsus nihil probari me puto evicisse; atque nunc iam sententiam nostram, Macrobium auctorum suorum vestigia anxie pressisse, iterum habes confirmatam per consensum scholiorum, quae tamen ex eo sumpta esse non possunt. At, dicet aliquis, complures agnoscit Linkius interpolatores! Audio; sed videtur mihi diffisus esse Linkius suae ipsius rationi; nam schol. ad Aen. IV, 694 „*Alii dicunt Euripidem Orcum in scenam inducere gladium ferentem, quo crinem Alcesti abscidat, et Euripidem hoc a Phrynicho antiquo tragico, mutuatum*", non ad Macrob. Sat. V, 19, 1 revocari posse concedit, quoniam Macrobius a quo Euripides hoc sit mutuatus non addiderit; qua in re non sibi constitit; nam eodem iure quo Aen. II, 225 Masuri Sabini testimonium ab altero additum, quo Aen. I, 378 Varronis alterum locum ab alio

1) Cf. praeterea quae Linkius de Macrob. Sat. III, 4, 2—4 et schol. ad Aen. II, 225 statuit.

adglutinatum, quo Aen. III, 84 Ciceronis locum ab altero interpolatore insertum esse contendit, debebat etiam in nostro scholio statuere Phrynichi mentionem vel ex alio fonte additam vel omnino ab altero esse inlatam. Neque in hoc tantum, sed simpliciter erat dicendum, omnia, quaequae possent, e Macrobio esse hausta; quae non possent, ab alio interpolatore esse addita. Vides, quo hac via ac ratione perveniamus.

Sed ne videar quid omisisse, quo Linkius ut complures ostenderet interpolatores, usus est argumento, nunc disserendum de his quae p. 22 exposuit: „Occasione oblata moneo ex eodem Macrobii loco (§ 5 sq.) fluxisse etiam schol. interp. ad Aen. XI, 158 et ad Aen. XII, 648, quae scholia ab alio addita esse atque scholion ad Aen. II, 686 inde elucet quod ad Aen. XI, 158 interpolator quid sit sanctum explicat et ad Aen. XII, 648 ad hanc explicationem relegat, id quod etiam ad Aen. XI, 158 fecisset, si scholion ad Aen. II, 686, ubi iam expositum est quid sit sanctum, item ab eo conscriptum esset". Tamen neque hoc argumento quod vult Linkius probatur; primum enim semper tenendum scholia addicicia esse valde lacerata atque lacunosa, ut inde quod talis deest admonitio, nihil conicere nobis liceat de diversis scholiorum auctoribus [1]; deinde vero summopere mihi dubium est, num commentator quis semper addiderit haec vel illa iam supra a se esse adnotata. Servius quidem, etsi multus est in talibus, saepius etiam quaedam bis vel ter adscripsit non hortatus legentes haec iam alio superiore loco esse exposita; ut Aen. I, 149 *Vulgus*] *masculini generis et neutri lectum est; . . . et hoc est artis, ut masculino utamur, quia omnia Latina nomina in us exeuntia, si neutra fuerint, tertiae sunt declinationis, ut pecus pecoris . . . usurpatum tamen est neutrum genus propter unum Graecum nomen, id est pelagus. cum enim pelagi faciat, neutri tamen est generis*". Eadem fere repetit ad Aen. II, 39 „*Sanc* '*vulgus*' *magis ma-*

1) Summam inconstantiam esse vel in Homeri scholiis apud quamvis sollertes commentatores apte monet Wilamowitzius.

sculini generis est „quam neutri, quia in ‚us' exeuntia neutra . . . excepto ‚pelagus' . . .“ cf. praeterea e. gr. Aen. I, 83 et III, 378; I, 104 et XI, 660; II, 15 et VI, 866. Sequitur ergo, ut hoc Linkii argumentum sit reiciendum.

Postquam haec contra Linkium monui, nunc etiam cum Thilone mihi res est; quamquam enim vir ille doctus in universum contra Linkium disputavit [1]), tamen unam adnotationem e Macrobio fluxisse huic concessit [2]). Ad Servii enim scholion ad Aen. II, 632 „*Ducente deo*] *secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. nam ait Calvus ‚pollentemque deum Venerem'. Item Vergilius, nec dextrae erranti deus afuit, cum aut Iuno fuerit aut Allecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatae Veneris*“ haec addita sunt: „*corpore et veste muliebri cum sceptro et natura virili quod* Ἀφρόδιτον *vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant. Quamquam veteres ‚deum' pro magno numine dicebant. Sallustius, ‚ut tanta mutatio non sine deo videretur*'“. In his cum verba ‚quod Ἀφρόδιτον vocatur' legantur etiam in codd. italicis, ea re fortasse commotus Thilo totum scholion additicium e Macrob. Sat. III, 8, 1 haustum esse sibi persuasit; quod non accipiendum; primum enim pars tantum exigua in italicis codd. extat; deinde vero quod illa verba in his inveniuntur, nihil profecto probat de libris Danielis; fac Italos sua sumpsisse e Macrobio, num quid inde concludendum de Fuldensium fonte? Debebat autem Thilo, qui hoc scholion ad Macrobium revocaret, etiam multo plura ex iis quae Linkius attulit (velut schol. ad Aen. IV, 56; 219. VIII, 85. XI, 543 al.) quaeque per se possent esse ex hoc exscripta, itidem ad hunc revocare. Denique accedit, quod in scholio de quo egimus, duae sunt servatae interpretationes; altera „ducente deo“ ita intellegit, ut demonstraret „Venerem eandem et marem aestimari et feminam“, quam exhibet Macrobius; cui opponitur altera quae ‚deum' idem esse

1) cf. prolegg. in Serv. p. 25 sq.
2) cf. prolegg. in Serv. p. 47 n. 1.

ac ‚numen' Sallustiano loco probaret [1]) quam cum non praebeat Macrobius, etiam hac de causa priorem illam ad hunc non redire patet.

Etsi igitur, credo, his omnibus quae exposui iam opinio ista de scholiorum quorundam origine Macrobiana est profligata, tamen etiam aliud dissuadet Linkii coniecturam, qua complures statuit interpolatores. Facile enim quis, quod exploratum est de codicibus Servianis ab doctis Italis interpolatis (velut Dresd. et Paris. 7965) ad alteram librorum classem id est ad Danielis referat; attamen, quod iam supra tetigi, hi libri toto caelo ut ita dicam inter se distant et acriter sunt discernendi [2]). Iam si quis Danielis libros percenseat, non potest non animadvertere hos omnes redire ad unum tantum exemplar archetypum, in quo ad Servium addita erant scholia antiqua ex codice aliquo, qui ipse ea exhibebat antiquorum more perscripto, ut praecederent scholia in Bucolica, sequerentur in Georgica, finem facerent commenta in Aeneidem. Is vero liber Servii aucti archetypus simili fortasse casu, quo Floriacensis in Bern. 172 et Pithoean. [3]) distractus est in duas partes, quarum prior continebat Aen. libr. I et II; altera Aen. III—XII cum Bucol. et Georg. Aliter enim explicari nequit, quod Cassellanus et Paris. 1750 additamenta habent tantum ad librum primum et secundum Aeneidos; ceteri autem Danielis codices inde a tertio demum Aen. libro auctum habent Servium. Qui autem hoc consideraverit unum tantummodo librum omnium scholiorum additiciorum fuisse fontem, is nescio an valde dubitaturus sit statuere hunc unicum librum conflatum esse ex diversissimis auctoribus et per complures interpolatores; immo multo maiore cum specie probabilitatis concludendum unum aliquem virum in exemplari suo Serviano scholia illa ex codice vetustiore adiecisse Honorati adnotationibus; quam sen-

1) Aspri esse hanc adnotationem magna cum probabilitate coniecit Ribbeckius proll. in Verg. p. 178.

2) cf. quae Thomas de his disputavit: „Essai sur Servius" p. 41 sqq. et Thilo prolegg. p. 91.

3) Sequor Thomasium in significando codice Parisino 7929.

tentiam mihi quidem probare videtur etiam exiguus codicum amplificatorum numerus.

Tota hac ratiocinatione, si quid video, haud mediocriter infringitur etiam Thomasii coniectura, qua censet scholia additicia Fuldensium omnino ex alio fonte fluxisse atque Lemovicensis et Pithoeani [1]). Tamen haud scio an multum proficerem contra Thomasium, si hodie non exstaret Parisin. 1750. nam id quivis concedere debet Cassellanum tanto praestare reliquis tantoque ab his differre, ut vix possint ceteri cum eo comparari; scilicet ea sola de causa, quod proxime accedit ad scholiorum additiciorum codicem archetypum, qualem modo depinximus. Nam scholia illa antiqua etiam postquam Servio addita sunt, haud parvam iacturam fecisse, verisimile fit Cassellano et Parisino 1750 libris inter se collatis. Conferas enim e. gr. scholion Cassell. ad Aen. I, 76: „*Optes*] *‚optare' non tantum ‚eligere' significat ut alibi ‚optavitque locum regno', sed etiam ‚velle', ut hoc loco ‚quid optes' ‚quid velis'. Lucilius in VI: quid ipsum facere optes*“. cum Parisini: „*Optes*] *Optare hic velle significat, alias elegere, ut est ‚optavitque locum regno'*“. Similiter in Parisini libri scholiis ad Aen. I, 233 Plauti, Aen. II, 424 Terenti, Aen. II, 532 alterum Varronis ex libris rer. divin. testimonium, quod servatum est in Cassellano, evanuit; cuius rei exempla quaevis fere editionis Thilon. pagina suppeditat. Econtra vero ne in Cassellano quidem omnia scholia additicia exstare inde elucet, quod iterum Parisinus quasdam habet adnotationes, quae desunt in illo [2]). Sed quia hae paucae tantum sunt, apparet verum esse quod modo eramus professi, Cassellanum proxime accedere ad codicis archetypi formam [3]).

---

1) cf. l. l. p. 79. p. 107. Thilo prolegg. p. 66 n. 1.

2) cf. Thilo praefat. in Serv. p. 58.

3) Hac igitur de causa ambigua est res, utrum, quod scholia additicia inde a libro III Aen. minoris sint pretii, ita sit explicandum, ut hi libri simile quid atque Par. 1750 passi sint, an ita, ut omnino fons in hac parte magis fuerit exilis quam in priore; quod mihi praeplacere confiteor.

Denique an librarii, qui nostros codices exaraverunt, haec scholia Servii esse putaverint necne, vix diiudicaverim; suadere quidem hoc videtur id, quod particulae saepius interpositae inveniuntur — eaeque aliquoties haud apte insertae — ad conectenda singula scholia [1]); certe eum qui haec scholia Servianis adiecit, ea Servii non habuisse non opus est adfirmare [2]).

Caput II.

Postquam in capite quod antecedit profecti ex Servio atque scholiis additiciis exposuimus Danielis illa additamenta aliena esse a Servio et redire ad antiquiorum commentarios [3]), nunc proficiscamur ex parte prorsus contraria, h. e. ex ipsis vetustiorum commentatorum frustulis et videamus, num ad idem perveniamus. Conlatis enim scholiis Vergilianis, quae ex codice Veronensi primus edidit Maius, cum Servii adnotationibus, etiam id clarum fiet, quaenam huius interpretationes excogitatae a commentatoribus primi et alterius p. Chr. n. saeculi propagatae sint ab insequentibus usque ad quartum saeculum.

Sed priusquam aggrediamur rem ipsam, pauca liceat praefari de his codicis Veronensis scholiis. Atque quod attinet ad externum libri illius rescripti habitum, conferas quae

1) Cf. Thilo praefat. p. 8.

2) Num qui adiecit scholia, nomen Servii huius adnotationibus saepius addiderit, ut segregaret ab illis, meo iure dubito; in Cassellano certe nullum eius rei vestigium. Turonensis autem codicis plane singularis est ratio; nam hunc complures interpolatores perpessum esse constat. cf. Thilo praef. p. 62, qua ipsa re differt a ceteris Danielis libris.

3) Postquam Macrobium reiecimus dicendum nos valde etiam dubitare de Isidoro horum fonte; neque enim parvi momenti est quod permulta Danielis scholia quamquam consentiunt, tamen ex Isidoro repetita esse nequeunt. cf. Thilo praef. p. 44.

Keilius [1]) monuit et Arn. Hermannus [2]). Hic vero primus animadvertit, quod fugit Maium et Keilium, scholia inde a versu Aen. III, 691 (p. 92, 11 K) [3]) ab altero esse conscripta quam quae praecedunt; ita ut prior pars contineat scholia quaedam ad Bucol. Georg. prioresque duos Aeneidos libros, — exhibet enim hic liber eum Vergilianorum carminum ordinem, quem sequebantur in enarrando commentatores usque ad Servium — altera autem adnotationes ad Aen. libb. III — XII. Neque spernenda est illa Hermanni observatio; optime enim cum ea concinit, quod multum interest inter prioris et alterius partis scholia. Namque huic proprium est, quod additis plerumque auctorum nominibus singulorum interpretationes adferuntur, eaeque ipsis eorum verbis, ut p. 101, 17. „Iamque imprudens] In Asp.: „id est imprudens et ignorans se evasisse". p. 102, 29: „Asp. ἀρχαισμός; iam in quinto notatur, ubi dixit „Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi". Maximeque res firmatur eo, quod ad unum Vergilii versum vel duorum grammaticorum adnotationes sunt adscriptae, ut p. 92, 11 „Comes infelicis Ulixi] Cornutus: num indecore hoc dicitur, cum sit Ulixes hostis Aeneae? Asp. non indecore sed poetice [4]) et magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas." cf. praeterea p. 93, 27; 100, 15 al. Adhibiti autem sunt ab eo, qui haec scholia congessit, commentarii Cornuti, Aspri, Longi, Scauri atque Ateriani; Probi non item; nam in duobus locis, ubi fit eius mentio, p. 101, 4 (Aen. IX, 369). „Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse: Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas" et p. 101, 9 (Aen. IX, 373). „Probus hic posuit aptissimum hoc exemplum ex Horatio: Nocte sublustri nihil astra praeter vidit et undas" non Probi ipsius verba uti alias aliorum laudantur, atque prior certe lo-

---

1) In: „M. Valerii Probi . . commentarius. Accedunt Scholiorum Veronensium fragm. ed. Keil. Hal. 1858". praefat. p. XI—XV.

2) Auctore Hermanno Bücheler in Fleckeis. annal. vol. 93, p. 65 sq.; Hermannus ipse in programmatt. Donaueschingen 1868/69 et 1869/70.

3) Versus citabo sec. edit. Keilii, quippe quae in plurium manibus sit.

4) ‚poetice' coniecit Keil; liber ‚patice'.

cus sec. illum antiquorum grammaticorum citandi morem debetur Sulpicio Apollinari, cuius testimonium attulit commentator aliquis (Scaurus?); nam ipse Sulpicius commentarios in Vergilium non conscripsit.

Cum igitur totius huius partis natura sit ea, ut praebeat commenta variorum, alia est res in parte priore; non enim commentatorum quorundam interpretamenta nude iuxta ponuntur, sed ostendunt haec scholia unius grammatici operam. Nam quod paucis locis hic profert etiam alteram sententiam, nihil contra nos efficit, cum id e. gr. apud Servium saepissime occurrat, cumque nesciamus, num forte circumcisa sit adnotatio. Deinde non spernendum, quod in hac parte non omnes illi grammatici nominantur, sed Cornutus tantum p. 72, 6 et p. 73, 26 (ubi sententia eius refellitur), Asper p. 75, 6; p. 87, 22; denique Probus p. 86, 21; desiderantur autem Longus, Scaurus, Aterianus. Postremo autem multus est hic grammaticus in adnotandis variis vocabulorum significationibus, velut p. 80, 31 ‚arma' ponuntur pro .. p. 81, 14 ‚canere' quatuor significationes habet ... p. 81, 19 ‚ora'; p. 81, 29 ‚impellere' p. 82, 1 ‚altum', p. 82, 6 ‚insignis', p. 82, 23 ‚fortuna', p. 85, 25 ‚fata' aliaque; cuius studii in parte altera exemplum omnino non occurrit. Certius tamen quidquam de commentarii huius prioris tempore non statuerim, cum unum saltem dissuadeat eum paullo post Asprum Probumque esse excerptum, sc. p. 81, 10 „Vir tribus modis ad intellegentiam datur; ponitur enim natura, virtute, adfinitate". De altera dein parte id tantum dicendum conscriptam hanc esse post Aterianum [1]).

His praemonitis de scholiorum Veronensium natura [2]),

1) Graefenhan. (gesch. d. cl. philol. IV p. 304) persuasit Ribbeckio (proll. p. 177). Aterianum esse Julium Ater. historicum tertii p. Chr. n. saeculi. Nititur autem haec coniectura nulla re nisi nominum consensu.

2) Possit quispiam conicere inde quod ab Aen. III alter incipit commentarius, Danielis scholiorum rationem similem supra expositam esse repetendam, ita ut sequeretur primarium et scholiastae Veron. et

iam enumeranda videntur, quae cum Servi adnotationibus consentiant. Atque sunt in parte priore haec scholia:

p. 71, 5 ad mulctram] Adnot. quod hic mulctram feminino genere posuerit, cum alibi neutro: Implebunt mulctralia. = Serv. Ecl. III, 30 Mulctram] et feminino genere dicimus ‚haec mulctra' et neutro ‚hoc mulctrale'. Unde est in Georg. „Implebunt mulctralia. . .

p. 71, 9 Binos alit foetus] .. Praedicatio vitulae est, quae duos (foetus habeat) = S. Ecl. III, 30, Binos .. ut eam laudare et ex fetu et .. videatur.

p. 72, 1 Et quis fuit alter] .. Alii namque Eudoxum tradunt, plerique Aratum ... = S. Ecl. III, 41 Significat autem aut Aratum aut Ptolemaeum aut Eudoxum.

p. 72, 18 Pedum autem est baculum recurvum ... (dicitur ab eo quod) pastores pedes ovium retrahere solent. = S. Ecl. V, 88 Pedum) virga incurva, unde (inde quod ea?) retinentur pecudum pedes.

p. 73, 12 Tristia bella] Aut epitheton est omnium bellorum ‚tristia' aut .. = S. Ecl. VI, 7; Tristia] epitheton bellorum perpetuum.

p. 73, 19 Deductum carmen] tenue, gracile, subtile, quale bucolicis co(nvenit) dictum a ... quia hae deductiores sunt i. e. tenuiores. = S. Ecl. VI, 5 Deductum] tenue; translatio a lana, quae deducitur in tenuitatem.

p. 73, 22 Ordo hic est: Nunc ego, Vare, agrestem tenui musam modulor harundine; supersunt autem, qui laudes tuas dicant. = S. Ecl. VI, 6: Ordo est: Nunc ego agrestem tenui meditabor arundine musam ... ‚Namque super tibi erunt' superabundabunt, inquit, o Vare, qui ambiant tua facta describere.

p. 74, 5 Silenum vero Sirona philosophum (intellegit. nam Siro)na et Vergilius audivit. hic tamen (Siron Epicureus traditur)[1]) = S. Ecl. VI, 13 Vult exsequi sectam Epicuream,

---

Danielinorum scholl. auctoris fontem fuisse amplum I et II libri Aeneidos commentarium. Sed vereor ut hanc coniecturam probare possit.

1) Cf. Hermann. ad h. l.

quam didicerat tam Vergilius quam Varus docente Sirone; et quasi sub persona Sileni Sironem inducit loquentem.

p. 75, 22 Incipe Maenalios] Antiquorum more hanc clausulam velut epodon repetit Theocritum (secutus) *Ἄρχετε βουκολικᾶς .. ἄρχετ' ἀοιδᾶς.* = S. Ecl. VIII, 21 Dicitur hic versus intercalaris ... Fecit autem hunc versum ad imitationem Theocriti, qui frequenter dicit in Pharmaceutria: *ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον* e. q. s.

p. 75, 27 Maenalus mons Arcadiae. = S. Ecl. VIII, 21 Maenalus mons est Arcadiae.

p. 76, 1 Sparge m. nuces] Nuptiali festo nuces dividi vel in solum abici solent, ut puerorum collige(ntium strepitu) vox puellae non audiatur, vel ne infausta verba ad aures ferantur. Et illa opinio, quod qui nuptias (ineunt) lusum notum [1]) relinquunt, ut in Ter.: Nunc hic dies aliam vitam, alios mores postulat. = S. Ecl. VIII, 30. Nam illud vulgare est ideo spargi nuces, ut rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellae vox virginitatem deponentis possit audiri. Modo tamen ideo ait ... ut eum culparet infamiae; nam meritorii pueri .. recedentes a turpi servitio nuces spargebant, i. e. ludum pueritiae, ut significarent se puerilia cuncta iam spernere. Dicitur etiam ideo ... a pueris aspergendas nuces cum strepitu .. flagitari ne quid nova nupta audiat adversum.

p. 77, 112 Taxi arbores floribus venenatis .. = S. Ecl. IX, 30 T. venenata arbor.

p. 77, 32 Aesculus arbos glandifera. = S. G. II 291 Aesc.] arbor est glandifera.

p. 78, 15 Palem invocat de pecorum studiis proventibusque dicturus. = S. Ge. III, 1. Incovat deam pabuli dicturus de animalibus.

p. 78, 28 Pastor ab Amphryso] (Apollo qui pavisse Ad)meti [2]) pecus traditu(r a)tque iuxta Amphrysum Thessaliae fluvium huic subiacuit ser(vus). = S. G. III, 2: Amph.

---

1) Sic Herm. progr. I p. 17.

2) Herm. pr. I p. 22.

fluvius est Thessaliae, circa quem Ap. spoliatus divinitate ob occisos cyclopas Admeti regis pavisse armenta dicitur.

p. 78, 30 Lycaeus mons Arcadiae, circa quem Pan deus colitur. = S. G. III, 2 Lycaei] κατ' ἐξοχὴν montem Arcadiae posuit; vel quia pecorosa est, vel quia Pan illic est rusticum numen.

p. 79, 1 Accipitur et ‚vacuas' otiosas. = S. G. III, 3 Cetera quae vacuas ...] h. e. fabulae quae .. occupare mentes curis solutas (sc. poterant).

p. 79, 8 (Hylas Thiodamantis) filius inter Argonautas comes Herculis in Mysia raptus a nymphis et fonte immersus est. = S. G. III, 6 Hylas autem socius Herculis fuit; qui aquatum profectus raptus est a nymphis in Mysia.

p. 79, 10 Apolline et Diana Latona gravida insequentem draconem Delo invecta vitavit .. = S. G. III, 6 Delos] in qua Latona enixa est Apollinem et Dianam [1]).

p. 79, 29 Aonio vertice] Helicone, Boeotiae monte, musis sacro. = S. G. III, 11 A. v.] Boeotio ... Helicon mons musis dicatus.

p. 80, 1 (Umida vina, n)on per se umida, sed aquae admixtione (calore moder)ato et ideo gelu stricta. Purum enim (dum est vinum nu)mquam gelatur. = S. G. III, 364: Sane volunt physici vinum non gelari; unde hoc loco aut hyperbole est, aut quia dixit, ‚humida' aquae mixta intellegamus; ita enim gelari dicuntur.

p. 80, 26 Oeagrius Hebrus] epitheton flumini de regis nomi(ne imposuit) quia patria Oeagri est, Orphei patris [2]). = S. G. IV, 524 Oeagrus fluvius est, pater Orphei, de quo Hebrus nascitur.

p. 81, 14 Canere quatuor significationes habet: ponitur pro cantare . ponitur pro p(raedicare) .. ponitur pro vatici-

1) Plenius fabulam narrat S. Aen. III, 73, quo legentes relegat; ibi autem tradit sororem Latonae Asterien in coturnicem esse mutatam atque in lapidem versam tum Latonae praebuisse refugium, cum schol. Ver. Latonam ipsam in ὄρτυγα versam dicat. Consentiunt igitur tantum in volgarissimis; quod idem statuere potes in Palamedis fabula p. 84, 27 et Serv. Aen. II, 81.

2) Sic legit Herm. I, p. 26.

nari .. Pro carmine hic accipitur. = S. Aen. I, 1 Cano .. tria enim significat; aliquando laudo .. aliquando divino .. aliqu. canto, ut in hoc loco.

p. 81, 25 Arma .. hic per μετωνυμίαν bellum intellegetur. Μετωνυμία est per id quod continet id quod continetur, ut dicitur Ceres pro frumento ... = S. A. I, 1 Per ‚arma' autem bellum significat et est tropus metonymia. cf. S. A. I, 177.

Ad Aen. I, 1 Primus] in(fra non) Aeneas pri(mus) sed Antenor [1]). = S. A. I, 1 Quaerunt multi cur Aeneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paullo post dicat Antenorem e. q. s.

p. 82, 1 ‚Altum' sign. mare, ut hic .. signif. et caelum ... signif. amplum .. signif. ma(gnum). = S. A. I, 3 ‚Altum.' sciendum est quod et superiorem et inferiorem altitudinem significat.

p. 82, 10 Tyrii coloni] sic quia Tyrii (Cartha)ginem condiderunt [2]). = S. A. I, 12: Et hos de Tyro constat venisse qui Carthaginem condiderunt.

p. 83, 15 . quas aves Antenor secutus traditur ex responso. Sunt qui Patavium .. (alii eam a P)ado flumine vocatam volunt. = S. A. I, 247 Patavium autem dictum vel a Padi vicinitate, quasi Padavium, vel ἀπὸ τοῦ πέτασθαι, quod captato augurio dicitur condita ..

p. 85, 17 Impius Tydides] quod est nomen generis; in deos (autem [3]) impius nominatur. = S. A. II, 163 Impius vero propter numina vulnerata.

p. 86, 15 Tritonia] ... (alii quod graece τ)ρεῖν sit φοβεῖσθαι et Minerva hominibus in proeliis metum iniciat. = S. A. II, 171 Tritonia aut quasi terribilis, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, id est timere aut ...

p. 87, 23 . Asper ... et torrens (dicitur is) qui aestate arescens hieme attollitur, quem Graeci χειμάρρουν vocant, sed nos ei nomen (ab aestate) posuimus, Graeci ex hieme. = S.

1) Scholion ab Hermanno demum enotatum I p. 27.
2) Cf. Herm. I p. 28.
3) Sic legit Hermannus.

A. II, 305 Torrens] fluvius qui aestate siccatur, unde et nomen accepit, cui Graeci per contrarium dedere vocabulum, nam χειμάρρουν dixerunt a tempore quo crescit.

p. 87, 27 Deiphobi] ... quod scilicet post interitum Paridis Helena ei tradita sit. = S. A. II, 310 quia ipse post mortem Paridis Helenam duxit uxorem.

p. 88, 21 Spumeus amnis] Plus est spumeus quam spumosus, ut est ‚Nemora inter frondea' pro frondosa. = S. A. I, 191 Frondea] pro frondosa posuit ... nam frondeum est totum de frondibus ut torus, frondosus vero est lucus.

p. 89, 29 Hoc erat] Scandendi difficultatem primae syllabae brevitas facit, nisi ... aut c consonantis litterae (geminatio quae) dum in utraque syllaba sonum praestat, pro duabus posita (statuenda erit) .. = S. A. VI, 792 Hic vir] c littera pro duplici non nisi in monosyllabis habetur ut ‚Hoc erat alma parens'.

p. 90, 2 Parvumque patri] Plus est quam si dixisset ‚mihi'. = S. A. I, 486 Amici] plus est quam si ‚Hectoris' diceret; alibi ‚parvumque ..'

Ad Aen. II, 682[1]) .. sed ex Servii Tullii historia descriptio loci istius coloratur, cui tradunt in regia Tarcini dormienti de (capite exisse flammam). = S. A. II, 682 .. natus est Servius Tullius, qui cum obdormisset, caput eius subito flamma corripuit.

p. 91, 3 Cereris desertae] quasi a filia derelictae, perpetuumque epitheton faciunt propter raptum Proserpinae, vel (propter sacerdotem) quem postea apud inferos vidit Aeneas. = S. A. II, 714 Desertae] utrum a sacerdote, qui in VI exstinctus inducitur, ... an ‚desertae' a filia?

p. 91, 17 Latos humeros] (Iure) dictum est ‚latos', nec notanda iactantia est in veritate, sicut illud in I ‚Sum pius A'. = S. A. I, 378 Pius Aen.] non est hoc loco arrogantia ... certe heroum secutus est morem, quibus quam mentiri turpe fuerat, tam vera reticere.

p. 91, 21 Dextra se implicuit] .. dictum ‚implicuit' pro-

---

1) Scholion ab Hermanno descriptum.

pter pueri trepidationem. = S. A. II, 724 Puerilem expressit timorem.

Haec sunt omissis aliquot, de quibus quia lacunosa sunt, dubitare licet [1]), scholia prioris partis, quae cum Servio conferenda erant; subnectamus statim, quae in altera parte eiusdem sunt naturae:

p. 92, 16 Plemyrium undosum] .. dictum autem *ἀπὸ πλημυρίας* (ideo) est, quod undique fluctibus undisque adluatur. = S. A. III, 692 .. hoc est enim ‚undosum' quod ‚Plemyrium'.

p. 92, 24 Pachynum dictum, quod ibi propter — densior sit aer. = S. A. III, 699 .. unde et P. dictum ab aeris crassitudine.

p. 92, 26 . Asp. Camerina Siciliae oppidum . . . . exhaurire eam instituerunt; quae cum attingeretur, satis tetrum odorem red(didit. Tum consilio capto ad oraculum Apollinis abierunt. (Ibi responsum a deo est ita): *Μὴ κίνει Καμερίναν · ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.* = S. A. III, 701; qui eadem narrat Aspri nomine non addito.

p. 93, 6 Drepani] .. cum castraret patrem suum Caelum. = S. A. III, 707 Drepanum civitas dicta .. vel quod Saturnus post amputata virilia Caelo patri illuc falcem proiecit.

p. 93, 16 Longus; ‚segnior' deformior accipiendum. = S. A. IV, 149 Haud illo segnior] id est non illo deformior.

p. 94, 4 Extremam] utrum pessimam? an eruditius sensit, ut legimus apud medicos, degenerare (solere ulti)mos partus [2]) = S. A. IV, 179 .. aut certe ‚extrema' pessima;

---

1) Cf. p. 73,1 at S. Ecl. VI, 1. Schol. ad Ecl. VIII, 27 (Herm. I p. 17) et S. ad h. l. p. 76, 16 et S. Ecl. VIII, 44, p. 77, 21 et S. G. II, 299. p. 79, 15 et S. G. III, 7. Similiter fortasse schol. Aen. II, 420 (Herm. II p. 8) ‚Amplexaeque tenent postes] (antiqua illa) consuetudine' coniungendum cum Servio ad h. l., qui consuetudinem illam probat Medeae exemplo.

2) Adnotat Veron. interpres aut simpliciter ‚extremam' accipiendam pro ‚pessimam' aut eruditius ita poetam locutum sec. medicorum doctri-

omnes enim qui de medicina tractant, dicunt naturale esse, ut inutiliores sint qui nascuntur ultimi.

p. 95, 1 Scaurus: erudite, nam ait ex medullis corporum anguis nasci. = S. A. V, 95 .. aut certe sec. Pythagoram dicit, qui primus deprehendit de medulla hominis .. anguem creari.

p. 95, 12 Portunus, ut Varro ait, deus port(uum porta)rumque praeses ... Hunc Graeci Palaemona vocant. = S. A. V, 241 Portunus deus marinus, qui portubus praeest ... qui graece Palaemon dicitur.

p. 96, 9 Malus quando arborem navis significat, generis masculini est, quando arborem pomorum, fem. = S. A. V, 487 Malus] arbor navis generis est masculini. Horatius ‚nec malus celeri saucius A'.

p. 96, 10 Long. adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit. Sed videlicet Homerum secutus est; sed et eodem modo quamcumque aliam avem expositam quaeri potuit, quia singula genera alitum diis quibuscumque sacrata sunt. = S. A. V, 517 Sane sciendum hunc totum locum ab Homero esse sumptum; unde inanis est vituperatio Aeneae, quod suspenderat avem maternam; nam .. et quamcumque suspendisset avem, in hanc incideret vituperationem, ... quia singulae aves numinibus sunt consecratae. Quamquam Urbanus dicit matrem citius potuisse placari [1]).

p. 96, 20 Pandarus Minerva auctore foedus, quod inter Graecos et Troianos factum erat, confudit icto sagitta Menelao in femore. = S. A. V, 496 Pandarus sec. Home-

---

nam. Servius alterum quod scitius excogitatum videbatur, praebet. Moneo hoc propter Thilonem (praef. p. 46 n. 3.)

1) Quod Ribeckius (proll. p. 167) his scholiis collatis effici arbitratur Urbanum ante Longum vixisse, mihi non persuasit. Nam per se potuit U. illa etiam Longi adnotationi addere atque illud ‚citius' (sc. quam alios deos) aperte id indicare videtur. Accedit quod omnes Ateriano antiquiores Vergili commentatores in scholiis Veronensibus adhibiti sunt, ut mirum esset, si unus Urbanus prorsus deesset. Neque in schol. Dan. citatur Urbanus sed a Servio tantum. Ceterum video hoc Thilonem quoque statuere praef. p. 16 n. 2.

rum Minervae persuasione certamen singulare Menelai et Paridis .. iacto telo diremit, quo Menelaum vulneravit.

p. 97, 19. Hater. ‚nomen' hic pro facie positum, ut in II, 558. = S. A. VIII, 337 nomina mille] facies ut in II, 558 [1]).

p. 98, 5 Asp. Tyrrhi ab historicis traxit. Tyrrhum enim aiunt fuisse pastorem, aput quem L(avinia) delituit, tum cum Ascanium timens fugit in silvas. = S. A. VI, 760 Ascanius .. cuius Lavinia timens insidias gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyrrhi.

p. 98, 23 Parthosque rep. signa] quae Licinio Crasso interfecto interceperant Parthi; haec (reportavit) Augustus. = S. A. VII, 606 in honorem Augusti posuit, quo regnante a Parthis repetita sunt signa, quae Crassus perdiderat.

p. 98, 27 (Numa Pompil)ius in imo Argileto Sa .... aedem constituit (Quir)ino indicem pacis et belli. = S. A. VII, 607 Sacrarium hoc N. P. fecerat circa imum Argiletum.

p. 99, 1 Tereti . mucrone] Dolonem significat .. et per ‚veru Sabellum' pila. = S. A. VII, 664 Et multi volunt per ‚teretes mucrones' dolones dici; per ‚veru Sabellum' pila significari.

p. 99, 6 Ca)to in Origg. ait Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse ideoque Vulcani (filium eum ex) istimasse et quod oculos exiguos haberet Caeculum appellatum. Hic .. (Praene)ste fundavit. = S. A. VII, 678 quem virgines aquatum euntes iuxta ignem inventum sustulerunt .. unde Vulcani dictus est filius. ‚Caeculus' autem ideo quia oculis minoribus fuit .. Hic postea collecta multitudine .. Praenestinam civitatem .. condidit.

p. 99, 20·Fr)onto, qui neutro genere dicit ‚galeria' [2]).

1) Tamen S. A. II, 558 sine nomine] sine agnitione.

2) An ‚galearia'? cf. Cher. p. 80, 5 K. „Galeros Verg. masc. genere dixit VII, 668 et Cornelius Severus .. sed C. Grachus apud censores ‚cum galeare ursici' dixit. Varro de act scen. II ‚haec galearia'.“ Schol. ita legit Herm. II, p. 23.

= S. A. VII, 688 Galerus genus est pilei, quod Fronto genere neutro dicit hoc galerum.

p. 100, 7 quod senatum R. cum Romulus prim(itus legit) centum ex senibus nuncupaverit. = S. A. VIII, 105 .. nam per ‚senatum' seniores significantur; .. centum enim sub Romulo fuerunt.

p. 100, 15 Asp. Remulus, inquit, dat nec addit nomen (nepotis; in)quo σχῆμα illud nobis proficit, quod Verg. quando dicit alicui datum nec dicit nomen (hoc videtur) ostendere cognomines fuisse. = S. A. IX, 362 Nam quotiens aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum esse intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte positum invenimus.

p. 101, 9 Asp... Probus hic posuit aptis(simum hoc) exemplum ex Horatio ‚Nocte sublustri nihil astra'. = S. A. IX, 373 sublustris nox est habens aliquid lucis. Horatius ‚Nocte sublustri'...

p. 101, 14 Sic: ‚abitum' non ‚aditum'; neque enim ideo circumdant, ne quis adeat, sed ne quis possit (inde abire). = S. A. IX, 380 Melior est lectio ‚abitum' quam ‚aditum'. Cingunt enim silvam ne abeant, non, ne adire possint.

p. 103, 6 Silentium tamen rumpere et vocem (sumere) idem significat. = S. A. X, 63 Silentium rumpere est loqui.

p. 103, 29 ‚Crimen' pro causa. = S. A. X, 188 Si pie amavit, sec. Asprum ‚crimen' erit ‚causa'.

p. 103, 30 ut Ocnus Mantus filius Mantuam condiderit et a matris suae nomine appellaverit. = S. A. X, 198 Ocnus .. Hic Mantuam dicitur condidisse, quam a matris nomine appellavit.

p. 107, 17 Furere ante furorem] ut servire servitutem et vitam vivere. = S. A. XII, 680 ut servitutem servit, dolet dolorem.

Haec igitur sunt scholia antiqua, quae apud Servium redeunt [1]); atque etiamsi numero sunt haud pauca — nam id sane valde esset mirandum, si prorsus nihil his esset com-

1) Cf. praeterea p. 95, 7 et S. A. V, 85. p. 98, 15 et S. A. II, 51. p. 99, 22 et S. A. I, 726. p. 106, 26 et S. A. XII, 468.

mune nihilque doctrinae illius antiquae usque ad Servium promanasset — tamen nullo efficitur loco Servium ipsis illorum grammaticorum commentariis esse usum; omnia enim, in quibus consentiunt, ita sunt comparata, ut haec in quovis commentario exstitisse credendum sit. Et in his quoque Servii adnotationes solent esse magis exiles quam scholia Veronensia, quamquam haec iam ipsa non parvam iacturam fecisse appareat. Cuius rei in enumeratis permulta colligere licet exempla; velut si scholiasta agens de pedo (p. 72, 18) adfert testem ‚Ennium in Ifigenia', Servius autem nihil praebet nisi quae adscripsimus. Vel demonstrari potest nostrum sine dubio antiquis illis interpretibus usum non esse, talibus: Schol. p. 92, 11 „*Comes infelicis Ulixi*] . . *Asp. non indecore* (sc. quod voluit Cornutus) *sed poetice et magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas.*" Servius autem ad h. v. (A. III, 691) „*epitheton ad implendum versum more Graeco sine respectu negotii*"*!* Denique sententia nostra maxime eo firmatur, quod quae graviora sunt in scholiis Veronensibus, plane desiderantur in Servio; quod etiam magis fiet lucidum si enumeraverimus scholia quae cum additamentis Danielis congruunt [1]), desunt autem in Servio.

Sunt enim haec in parte priore:

p. 72, 26 Prima Syracusio] aut nostra ex omnibus prima, quasi primus latine bucolicon Verg. scr(ibserit versu usus) Siciliensi i. e. Theocriti . . aut . . ἀλληγορικῶς quasi primus ex Romanis . . = Ecl. VI, 1 Ostendit ergo se primum post Theocritum bucolica scripsisse.

p. 73, 14 ‚Condere' pro componere; sic Hor. ‚Condo et compono' = Ecl. VI, 7 Condere pro componere; ut e contrario incondita.

Schol. ad Ecl. VII, 13 . sacra quercu: vel templo (con) secrata e(rat vel) fati(dica quia om)nes (quercus) sun(t Iovis) [2]). = schol. Dan. ad. h. v. Sacra autem quercus, aut

1) cf. etiam quae Thomas l. l. p. 271 sq. disserit hac de re. Neque fugit virum illum doctum omnia circumspicientem, quanta similitudo intercedat inter Veron. et Daniel. scholia. cf. p. 59, 80, 108.

2) cf. Herm. I, p. 15.

ipsam quam vult intellegi, aut universum genus, quod et Iovis et olim fatidica.

p. 74, 8 Codrum . . nonnulli Helvium Cinnam putant, de quo bene sentit. Similiter autem hunc Codrum in elegiis Valgius honorifice (appellat) et quadam in ecloga (elegia?) de eo ait . . = Ecl. VII, 22 Codrus poeta eiusdem temporis fuit, ut Valgius in elegiis suis refert.

p. 75, 1 Ἔλλειψις; non enim addidit aut ‚consecravit' aut ‚posuit', sicut illic: (Aeneas haec) de Danais . . = Ecl. VII, 29 Sane deest ‚consecrat' ut: Aeneas haec de Danais.

p. 75, 6 Asper. Sinum. . . Varro de vita P. R. lib. I (lepestam di)cebant, ubi erat vinum in mensa positum aut galeolam aut sinum. Tria enim haec similia sunt, pro quibus nunc (acratophor)on ponitur. Atta (in Megalensibus . .) ubi sermo solet suboriri seditiosus. = Ecl. VII, 33 Varro de v. P. R.: aut lepestam aut galeolam aut sinum dicebant. Tria enim, pro quibus nunc acratophoron dicitur. Atta in Megal.: nempe ad mensam, ubi sermo de sinu solet suboriri[1]).

p. 75, 17 Galatea, Nerei filia, a Polyphemo cyclope adamata conplexum eius evitans in mare se praecipitavit. = Ecl. VII, 37 quam (sc. G.) cum P. cyclops adamasset, primum concubitum eius precibus expetivit, mox vim adhibere conatus est, quem illa in mare se praecipitando effugit.

p. 81, 1 Arma ponuntur pro . . pistorum instrumentis ‚Cerialiaque arma'. = Aen. I, 1 . . arma possunt et aliarum artium instrumenta dici, ut ‚Cerialiaque arma'.

p. 81, 18 ab oris] . . significantur . . et regiones, ut hic. = A. I, 1 speciem pro genere; nam oras terras generaliter debemus accipere.

Ad Aen. I, 5 ‚Conderet' . . significat et . . abscond(ere . .)[2]) = A. II, 24 Condunt] pro abscondunt.

p. 82, 13 Est autem . . currus . . unde et Iunoni potest hoc vehiculum deputari, sicut ipse poeta ait ‚ductos alta ad donaria currus'. = A. I, 16 aut certe illud ‚currus' quod

---

1) cf. etiam Non. Marc. p. 547 M.; Priscian ed. H. I p. 263.

2) Schol. ab Hermanno demum enotatum; I p. 27.

ait ‚ductos alta ad d. c.' habere enim Iunonem currus certum est.

p. 82, 19 Hic posuit ‚superbum' ut in III .. Sed intelligitur et (gl)oriosum. = A. I, 21 Superbum] id est eminentem, gloriosum.

p. 83, 1 Antenor Troianorum primatibus mixtus de reddenda Helena saepe auctor fuit, Menelaumque et Ulixen, ne Paridis insidiis sternerentur, admonuit et ut ab aliquibus traditur, ipse defendit; ob quod meritum capto Ilio incolumis evasit. = A. I, 242 Capto Ilio Menelaus memor se et Ulixen beneficio Antenoris servatos, cum .. paene a Paride aliisque iuvenibus interempti essent, parem gratiam reddens inviolatum dimisit. — — sicut superius dictum est, et auctor reddendae Helenae fuit.

p. 83, 15 quas aves Antenor secutus traditur ex responso. Sunt qui Patavium a Patena palude dictum putent, quae prope (urbem fuit) = A. I, 242 ideo ex avis petitae auspicio Patavium nominatum. Aen. I, 247 alii a palude Patina, quae vicina civitati fuisse dicitur ..

p. 83, 23 Genti nomen dedit] Potest pro (nobilitate accipi)[1]) ut est .. et alibi ‚Et nos aliquid nomenque decusque gessimus'. = A. I, 248 aut certe ‚nomen' nobilitatem vel dignitatem ut ‚Et nos aliquid n. d. g'.

p. 83, 28 Aeneas .. Latino mortuo Etruscos certamine premens (nusquam ap)paruit et Numici fluminis gurgite haustus putatur, cui Ascanius hostibus devictis in loco quo (postremo pate)r apparuerat Aeneae indigeti templum dicavit. = A I, 259 Aeneas .. ipse vero in Numicum fluvium cecidit .. cuius corpus cum victis a se Rutulis .. Ascanius non invenisset, in deorum numerum credidit relatum. Itaque ei templum condidit et Iovem indigetem appellavit.

Sch. A. II, 94 Si qua tulisset] ad patriam[2]). = Sch. D. ad h. v. nonnulli pro ‚retulisset'.

---

1) Sic rectius mihi videor schol. supplere quam Keil (pro progenie); cf. schol. Veron. Aen. II, 89 (Herm. I, p. 32) et schol. Dan. ad h. v.

2) cf. Herm. I, p. 32.

Sch. A. II, 95 novis] mire novis. (aliis at)que aliis [1]).. = A. II, 98 aut magnis.. aut aliis atque aliis.

p. 85, 3 Pos)tea quidem ad alias personas pertinentia proferuntur. = A. II, 101 Et bene reticuit, ne taederet illos tam longae orationis, nihil ad se pertinentis.

p. 85, 19.. noctu occisis arcis custodibus Diomedes et Ulixes in castra Palladium (abstulerunt) ac tunc Diomeden Ulixes, ut tantae laudis titulum solus adquireret, temptavit occidere. = A. II, 166.. qui cum reverterentur ad naves, Ulixes ut sui tantum operis videretur effectus, voluit sequens occidere Diomedem.

p. 86, 4 Duo Palladia traduntur (exstitisse); alterum in Attices regione (alterum) in Troade; atque illud quod Athenis repertum est, videbatur ponti inlabsum, unde apud illos tu(m colebatur dea) *Γεφυρῖτις Ἀθηνᾶ.* Alii sic existimant quod hoc ex Samothracia in Troiam Dardanus transtulit. = A. II, 166 simulacrum, quod nubibus advectum et in ponte depositum.. unde et *γεφυριστής* dicta est.. Alii a Dardano de Samothracia Troiam translatum.

p. 86, 14 alii in Libya esse confirmant; quidam etiam paludem interpretantur. = A. I, 171 Tritonia] a Tritone amne Boeotiae aut a Tritonide palude Africae.

p. 86, 18 Salsus sudor] Hoc epitheton.. quo totius corporis sucus etiam gustu potuerit agnosci: (Salsus Nam)que laborando manat de corpore sudor. Probus malo epitheto putat usum poetam, critici vero... = A. II, 173 Probo sane displicet ‚s. s.' et supervacue positum videtur. Hoc autem Ennius de lamis dixit [2]).

p. 87, 4 Eleganter ait ‚Troia commendat'.. cuncta enim sic Aeneas agit, ut vid(eatur patriae) praestitisse quod fugit.

---

1) Herm. ibid.

2) Elegantissima est Kiesslingii coniectura versum qui exstat in scholiis Ver. esse Ennii; nam scholia ex prorsus eodem fonte fluxisse luce clarius est. Ita demum intellegitur, quid significet illud „Ennius de lamis dixit" h. e. in lamis superandis aliisque itineris obstaculis (velut frg. annal. v. 557) Reiciemus igitur nunc Vahleni „E. de lacrimis dixit" (Enn. poes. rel. p. 178, XXX).

= A. II, 293 Et non ‚Ego' sed ‚Troia', ut videatur patriae praestare quod fugiat.

p. 87, 12 cum postremitatem — magna. Ita dictum et illud ‚Tu moenia magnis magna para'. = A. II, 294 non enim magna moenia inventurum promittit sed magna facturum. Nam et di penates in III ita monent ‚Tu moenia magnis magna para'.

p. 87, 22 Rapidus montano flumine torrens] Asper: montano magno aut (et?) quod monte decurrat rapidus. = A. II, 305 quare rapidus? quia montano flumine.

p. 87, 27 primam Deiphobi domum arsisse confirmet, de quo in VI (haec causa) additur, quod sc. post interitum Paridis . . . = A. II, 310 (Helenam duxit uxorem) unde ei Graecos graviter constat iratos, de quo in VI plenius narratur.

p. 88, 15 Bipennis] . . acutum vocarunt, unde et bipennis dicitur ex utraque parte acuta. = A. VI, 651 Bipennis . dicitur quod ex utraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas, quas veteres dicebant.

p. 88, 17 Quaeritur ab aliquibus, utrum bene positum sit ‚exuviis' in significatione pellis. Dialectici enim tradunt inde bene dici exuvias, unde dici et induviae recte possint. = A. II, 473 Bene corium, quo serpens exuitur, exuvias dicit.

p. 88, 29 . Qui legunt ‚deo' ‚fatum' volunt dictum. Sallustius quoque auctor est occultam potentiam ‚deum' vocari: (fecit) ut tanta repente mutatio non sine deo videretur. = A. II, 632 veteres ‚deum' pro magno numine dicebant; Sallustius: ut tanta mutatio non sine deo videretur.

p. 89, 7 cuius rei Verg. sciens voluit seriem facti huius evolvere. = A. II, 649 ‚afflavit ventis' bene dixit, quia scit non iaci fulmina e. q. s.

p. 89, 20 . . armatus Aeneas ante arma fefellerit; sed Graecorum habebat. = A. II, 668 . . vel quia ad auferendum patrem arma deposuerat, vel quia armis Graecorum fuerat armatus.

p. 89, 29 Numquam] Sic in bucol. ‚numquam hodie effugies' .. A. II, 670 pro non, ut ‚numquam hodie effugies'.

p. 90, 3 Parvumque patri ..] Plus est quam si dixisset ‚mihi', ut ad retinendum (filium magis for)tis vis affectionis esset. = A. II, 674 Patri] melius quam ‚mihi'.

Sch. A. II, 682 ‚Levis' hic pro leviter [1]). = Sch. Dan. ad h. v. Levis] pro leviter.

p. 90, 12 Peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse .. possunt Naev(ius et Ennius) [2]) qui ita de eo ait: Doctus Anchisa .. = A. II, 687 Et hic et alibi Anchisen divinandi peritum inducit.

p. 90, 21 (Secundum Varronem) [3]) qui ait Troianos stellam ducem discessionis habuisse. = A. II, 801 Varro enim ait hanc stellam Luciferi, quae Veneris dicitur, ab Aenea donec ad Laurentem agrum veniret, semper visam. .

p. 90, 29 reparandae gentis interpre(tatur signa) ut non perisse Troiam signorum praesentium maiestate doceatur. = A. II, 703 alii ita exponunt: augurium numenque vestrum efficiat ne putem Troiam perisse.

p. 91, 14 Flumine vivo] est consuetudo, ut dicatur aqua viva quae suo tantum rivo meat (nec augetur, quasi) esset semper means in eo paludis portu nec more torpescens [4]). = A. II, 719 vivo] perenni, quia iugiter aqua fluens viva vocatur.

p. 91, 23 Varro secundo histor. refert Aenean capta Troia arcem cum plurimis occupasse magnaque hostium (gratia obtinuisse a)beundi potestatem. Itaque .. cumque circa (aurum) opesque alias ceteri morarentur, Aenean patrem suum collo (tulisse, mirantibus)que Achivis hanc pietatem redeundi Ilium copiam datam ac deos Penates ligneis sigillis vel lapideis terrenis quoque Aenean (umeris extulisse) quam rem

---

1) cf. Herm. II, p. 10.

2) Scholion ita supplendum docetProbus p. 14, 2.

3) Nonne lacuna ita ex Danielis scholio explenda? Servius quoque ad Aen. I, 382 haec adnotavit.

4) An scribendum: ‚semper means nec paludis portu nec mora torpescens'?

Graecos stupentes omnia sua auferendi potestatem dedisse .. = A. II, 636 Varro rer. hum. ait permissum a Graecis Aeneae ut evaderet et quod carum putaret auferret; illum patrem liberasse, cum illi, quibus similis optio esset data, aurum et argentum abstulissent. Aeneae propter admirationem iterum a Graecis concessum, ut quod vellet auferret; illum .. deos Penates abstulisse; tunc ei a Graecis concessum ut et quos vellet secum et sua omnia liberaret. Cf. etiam A. III, 148 Varro rer. hum. secundo ait, .. quaedam lignea vel lapidea sigilla. . .

Ex altera denique scholiorum Veronensium parte hae adnotationes cum Danielis additamentis consentiunt [1]):

p. 92, 11 Comes infelicis U.] Cornutus: num indecore hoc dicitur, cum sit Ulixes hostis Aeneae? Asper: non indecore sed poetice et magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas. = A. III, 691 nam A. incongrue infelicem U. dicit; nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores et ipse patiatur.

p. 93, 8 C. Fannius in VIII ann. Drepanum modo, modo Drepana appelabat. = A. III, 707 Cato pluraliter ‚haec Drepana' dicit.

p. 93, 24 Primo propter metum parva, mox. = A. IV, 176 Metu primo] non ‚primo metu' sed ‚primum', quod initio cautius loquatur.

p. 93, 28 Asper ... in deos saevire famam creavit, per quam quia introducuntur invicem certantes et adulter (asse deos inter se) et belligerasse, haec nobis innotescerent. = A. IV, 179 Famam ergo inducit ultam esse fratres, quia ipsa deorum delicta vulgavit.

p. 94, 11 Salve] Catullus: Salvete deum gens, o bona matrum progenies, salvete iter(um, salvete precanti). = A. V, 80 Et hoc verbum ‚salve' apud auctores bonos ter enuntiatum invenitur ‚salvete, salvete, salvete' [2]).

1) Cf. ex lacunosis scholl. Herm. I p. 15 et Ecl. VII, 21. p. 82, 11 (cf. Herm.) et A. I, 13. p. 84, 1 et A. I, 250. p. 85, 3 et A, II, 101. p. 85, 14 et A. II, 104. p. 86, 24 et A. II, 178. Herm. II, p. 5 et A. II. 292.

2) Ita Kiesslingius scribendum iussit pro tradito; salve, salve, re-

p. 94, 23 Adyta dicuntur proprie deorum in templis, sed de Anchisae tumulo dixit, qui (quia?) fuit sanctus. = A. V, 84 Ecce sicut dictum est, ubique tamquam de deo loquitur; templorum enim et deorum adyta dicimus.

p. 94, 25 Altaria] libamina[1]) ut ‚Paterisque altaria libant' = A. XII, 175 Ea enim quae in altaria funduntur, altaria dici voluit Probus; alii .. cf. Ecl. V, 66 alii altaria eminentia ararum et ipsa libamina aiunt ut Aen. XII, 173.

p. 97, 24 Asp. statim. Haec sine ulla lectionis intercapedine pronuntianda sunt, quia *κωφὸν*[2]) *πρόσωπον* (in) duxit hoc ex nocendi festinatione .. Sic et in I Cupido matri non respondit. = A. VII, 341 Exin.] statim. cf. A. I, 689 notandum, quod interdum ubi inducit minorem festinantem parere, maiori respondentem eum non facit, ut .. et in VII.

p. 100, 1 .. Italiam vehendo effecisti aeterna. = A. VIII, 37 Aeternaque Pergama servas] pro servas et aeterna facis i. e. efficis, ut aeterna sint.

p. 101, 17. Iamque imprudens] In Asp.: id est imprudens et ignarus se evasisse = A. IX, 386 aut imprudens se evasisse[3]).

p. 102, 3 Ha)ter. ‚fraude loci' potest per se legi; deinde subiungi ‚et noctis' subito turbante tumultu', ut duplex terror fuerit et ex loci fraude et ex noctis tumultu repentino. Sed et alio modo haut absurde distinctio ‚fraude loci et noctis', deinde, subito turbante tumultu' = A. IX, 397 ‚fraude loci' difficultate loci; ‚noctis pro tenebris et obscuritate fraudem appellat. Quidam ‚noctis' subito t. t.' legunt, ut sit ‚noctis tumultu' nocturno tumultu.

p. 102, 16 De vi)cino et proximo deriguntur oportune

salvete', cum scholii Dan. ‚auctor bonus' nemo alius sit quam Catullus scholiastae Veronensis, cuius versus sic ut supra posuimus praeclare supplevit Hauptius Opusc. II, 77.

1) Codex ‚limina'; conieci ‚libamina'.

2) Correxit Hauptius, opp. III p. 523. cod. ΥΩΦΟ; Keil ἰοφόρον.

3) Lion ‚suasisse'; Thomas l. l. p. 96 ‚evasisse'; ‚se' ipse addidi.

invocationes, ut ‚Faune, precor, miserere' .. et ‚Nymphas venerabar agrestes Gradivumque patrem' = A. IX, 404 ex consuetudine eius ut de vicino et proximo ducat opportunas invocationes ‚Faune precor' et ‚Nymphas ven. a.'

p. 103, 1 Notabilis figura; aut hos .. = A. X, 10 non est enim ‚hos suasit' ne fiat σολοικοειδές, quamquam inveniatur huiusmodi figura, ut XII, 813 ..

p. 103, 2 (Potestas p)ro eo penes quem et hominum et deorum potestas est, aut quomodo potestas in consuetudine pro rege (poni vel im)perio vel magistratu solet? = A. X, 18 Sicut autem hominum et rerum potestas est, an quemadmodum pro rege vel magistratu ‚potestas' solet dicere? [1])

p. 103, 8 Videtur ‚fatis' significare ‚responsis', quia subiecta congruunt. = A. X, 67 Fatis] num hic responsis? quia hoc sequitur.

p. 103, 11 Deam Venilia(m ... quam deam cum Neptuno coniungunt. = A. X, 76 Sane hanc Ven. quidam Salaciam accipiunt Neptuni uxorem.

p. 103, 17 Varro putat Caere oppidum Etruriae a Pelasgis cum sitientes inventum flumen proximum .. salutassent χαῖρε, atque ea causa id vocabulum oppido datum. = A. X, 183 Caere] ἀπὸ τοῦ χαίρειν, quod verbum salutandi gratia apud Graecos dici solet. Hanc Pelasgi condiderunt, qui cum sitim passi ... casu quodam fontem invenissent, in eodem loco oppidum condiderunt [2]).

p. 103, 31 Flaccus Etrusc. I, ‚In Appenninum, inquit, transgressus Tarchon Mantuam condidit', ... (vocatumque tusca lingua a) Dite patre est nomen [3]). = A. X, 198 Alii a Tarchone .. conditam dicunt; Mantum autem ideo nominatum, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant ..

p. 104, 9 Sed Vergilius miscet duas Etrurias, veterem et inferiorem, ut utriusque prin(cipatum pat)riae [4]) suae ad-

1) An ‚solet dici'? cf. Thomas. l. l. p. 96.

2) Aliter Serv. Aen. VIII, 597.

3) cod. Archon; sed p. 104, 7 a Darchonte.

4) Keilius et Herm.: prin(cipia Etru)riae suae; quod primum propter ‚suae' minus aptum videtur; deinde quia in ceteris scholia tam accurate

signet, cum alioqui Mantua ad haec auxilia non pertineat. = A. X, 202 Ergo Vergilius miscet novam et veterem Etruriam, ut utriusque principatum patriae suae assignet, cum alioquin Mantua ad haec auxilia pertinere non debeat ..

p. 105, 7 Long. quaerunt quidam quomodo, si ex Fauno et nympha creatus sit, mortalis esse potuerit, tanquam non Eryx Neptuni et Veneris filius (quia)[1] tamen ab Hercule sit occisus. = A. X, 551 Nam et Eryx Veneris et Neptuni filius ab Hercule occisus est.

p. 105, 12 . Lon. Istic] pro hic, ut Plautus in Rud. . = A. X, 557 Istic. pro hic.

p. 106, 1 Adnot. quod in catalogo huius non meminit. = A. X, 562 Numam . Camertem] horum in catologo non[2]) meminit.

p. 106, 5 Homerus amicum Aegeona dicit Iovis, sed Antimachus in III Theb. d. adversum eum armatum. = A. X, 565 .. Homerus nihil dicit aliud quam ... et auxilio eum Iovi fuisse.

p. 106, 15 Zenodotus .. facit disserere Aristarchios, qui putant alium Paeana esse, alium Apollinem; ipse eundem nec diversum multis docet, = A. X, 738 Quamvis quidem (quidam?) alium Paeana esse, alium Apollinem velint, sed vere Paean Apollo.

p. 107, 14 amplius, id est diutius, ulterius . Lucilius .. = A. IX, 426 Amplius] de cetero, posthac.

Nemo, opinor, qui haec contulerit[3]) iam dubitabit concedere aliam esse rationem inter Veronensia scholia atque additamenta Danielis, quam quae inter illa et Servium intercedat. Nam etsi numerus scholiorum, quae aut cum Servio aut cum additamentis consonarent, non multum distabat —

---

congruunt, etiam haec ‚prin(cipatum pat)riae suae' ex Danielis additamento restituenda in Veronensi censeo, praesertim cum litterae servatae optime quadrent.

1) ‚quia' seclusit Ribbeckius proll. p. 171.

2) ‚Non' deest in textu, sed necessario inserendum esse vix opus est monere.

3) cf. etiam p. 93, 2 et A. III, 705; p. 102, 29 et A. X, 6.

qua in re non obliviscendum quod ad Georg. libb. II—IV omnino non habemus scholia additicia neque multa ad quosdam Aeneidos libros, velut lib. V, Servium autem integrum [1]) — tamen apparet Danielis scholia ex iisdem plane fontibus esse hausta atque Veronensia, ita ut saepius ipsorum verborum liceat deprehendere concentum. Cum igitur Danielis scholia ad ipsos antiquiorum grammaticorum commentarios redeant, Servium his neque usum esse et consentire paucis exceptis cum scholiis Veron. tantum in tritissimis iam supra monuimus.

Neque id solum his quae attulimus iterum firmatur Danielis additamenta Servii non esse, sed probatur etiam quod in fine capitis prioris contra Thomasium statuimus, omnia scholia additicia redire ad unum librum, qui Veronensi simillimus, continebat commenta antiquorum poetae interpretum in unum conflata. Si enim singulorum Danielis librorum scholia ex diversis fontibus, velut ex libris de antiquitatibus aliisve, petita esse statueres explicari certe id nequiret, quod per omnes libros tam arte cohaerent scholia additicia cum frustulis ipsorum commentariorum vetustiorum.

---

1) Nullus dubito hoc adseverare, etsi Thiloni res videtur non certa (cf. praefat p. 14). Primum enim ex ipso scriptore nihil conici potest de textu mutilato atque circumciso. Deinde si colligere volueris eos locos, in quibus monet Servius se supra aliquid enarrasse — et sunt tales fere quadringenti — haec semper in nostro exstare invenies. Denique quae scriptores Servio iuniores ex hoc adferunt, in textu nostro non desiderantur. (cf. Thilo praef. p. 34 sq.) Addendus enumeratis a Thilone Malalas, qui citat nostrum p. 162, 14 et p. 181, 2 Dind. quo altero loco eum nominat τὸν Ῥωμαίων συγγραφέα, ut ipsum Servium non videatur cognitum habuisse. Respicit autem ad Serv. Aen. IV, 670 et VI, 819.

Vita.

Natus sum Richardus Ernestus Halfpap nom. Klotz anno h. s. LVIII Stolpae, in urbe Pomeraniae. Fidem profiteor evangelicam. Inde ab anno LXVIII gymnasium frequentavi Colbergense, quod tunc florebat P. Schmiedero rectore, nunc rectore Streitio. Maturitatis testimonio instructus a. LXXVII Berolinum me contuli, ubi per bis sex menses disserentes audivi vv. dd. Curtium, Kirchhoffium, Robertum, Steinthalium, Vahlenum; tum Gryphiswaldiam migravi, ubi scholas frequentavi vv. ill. Kiesslingii, Lütiohanni, Preuneri, Schuppii, Susemihlii, Wellhauseni, de Wilamowitzii. Seminarii philologici ut per tria semestria essem sodalis ordinarius, per unum senior, benigne permiserunt Kiesslingius et Wilamowitzius.

Exercitationibus interesse mihi licuit grammaticis a Lütiohanno, archaeologicis a Roberto et Preunero, aristotelicis a Susemihlio, metricis a Wilamowitzio institutis. His viris omnibus, quos nominavi, imprimis vero Kiesslingio et Wilamowitzio, optime de me meritis, gratias semper habebo quam maxumas.

Sententiae controversae.

1) Ovid. Trist. III, 13 versus sunt spurii:

„Quoque loco primum tibi sum male cognitus infans
illo temptasses ultimus esse mihi." et

„Non ita sum positus nec sunt ea tempora nobis
adventu possim laetus ut esse tuo".

2) Falso Steupius (de Probis gramm. p. 180) statuit artem Diomedis a Servio et Prisciano adhibitam esse sub nomine Probi.

3) Macrob. Sat. III, 1, 4 scribendum: „quia sciret eum hoc anno purificatum posse sacra etiam sibi rite perficere, cum ne supplicari quidem sibi ab eo vellet". (codd. nam).

4) Vib. Sequ. ed. Burs. p. 1 scribas: „eorum et regiones et vocabula et qualitates in litteram digerens". (cod. dirigens).

5) Servium Solino usum esse (cf. Momms. praef. p. 30) nego; Serv. ad Georg. II, 215 „Negant] Solinus et Nicander, qui de his rebus scripserunt" corruptum est.

6) Schol. Bern. ad Verg. ecl. III, 40 sic legendum: „Et acute, ut in eruditum pastorem induceret. Sed Eudoxum mathematicum significat et eundem philosophum, Platonis discipulum, vel ut quidam, Aratum". (codd. eruditum; et edoctum; Arati.)

7) Eurip. Ion. 1064 propono:

*ἢ θηκτὸν ξίφος ἢ
λαιμῶν ἐξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν.*

Ienae, typis Frommanni (H. Pohle).

